

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
27 Q
6

NAZIONALE
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
55
4 B
22
ROMA

12. Y. 9. 5. 14

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES

MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM
S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR
AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. I.

DE FEBRIBUS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1827.

Ad Thermas Agrippae.

Digitized by Google

PRAEFATIO

Vix ad scribendas medicinae practicae institutiones animum appuli, non alia mihi fuit mens, quam ordine, et perspicuitate, qua potui, singula juvenibus tradere, quae pro morborum cognitione et curatione scitu necessaria videntur. Curavi igitur, ut multiplices humani corporis valetudines tam accurate, quam per me liceret, exponerentur, morbosa foenomena secundum hodiernae anatomes, physiologiae, et pathologiae princi-

pia explicarentur, et remedia observatione et experientia summorum virorum peropportuna comperta eligerentur. Relictis ideo quibuscumque systematicorum commentis, genuinae praxeos fundamenta tueri, et divini Hippocratis vestigia persequi conatus sum. Enimvero ut instabilia et fluxa ab excogitatis systematibus profecta principia, sic quae ab his deducuntur praesidia ambigua et persaepe damnosa reperiuntur. Nihilo tamen minus isthaec methodus rationis, et experientiae pedissequa, quae medicinae operam navantibus,

eamque facientibus gratior habenda est, facillime nostris temporibus velut empirica argui solet. Ut autem hujusce insimulationis injuriam manifestam faciam, quid per rationem, et experientiam intelligatur praefiniendum est. Ratio, ut ab Hipp. libr. de arte colligimus, est in perscrutandis, declarandisque rerum caussis, quae ad medicinam pertinent, in perquirendis medicamentorum indole, viribus, agendi modo, in rectis medendi indicationibus eliciendis fundatum judicium. Hoc quidem si in omnibus scien-

tiis uti opus sit, maxime vero in praxi; nam nisi morborum causae perspiciantur, et hisce opposita exhibeantur remedia, illi certe tolli non possunt. Quoad autem experientiam, haec vera dicitur, si accuratis, indubiis, et centies et millies repetitis observationibus innitatur, cujus caussa in usurpandis emeticis, purgantibus, sudoriferis, aliisque plurimis remediis minime ambigimus. Ex adverso falsa dicitur, quae in paucis, et male institutis periculis ponitur, aut ab ideis praeconceptis derivatur, qua empirici, et systematici imbuti

saepe in funestos errores delabuntur. Quapropter aut ab his celebrantur, aut propulsantur remedia, si aliquando horum felices, aut infaustos effectus observaverint, vel prout constitutis principiis illa congruere, vel non respondere videntur. Et re quidem vera alii venae sectionem damnarunt, ut inter veteres Erasistratus; alii sanguinem fere indiscriminatim effundunt, ut inter recentiores qui vel acutam, vel lentam phlogosin fere ubique vident; alii emetica, et purgantia acriora ejecerunt, ut methodicae sectae addicti; alii

emeticis, et purgantibus abutuntur, ut qui semper gastricas sordes effingunt; alii ad superandam veneream luem, nullo habito respectu temperamento, et aetati aegrotantium mercurialia adhibent; alii haec nimis reformidant, maxime qui aliis innocuis praesidiis illam in omnibus fere casibus abigi posse arbitrantur; alii opium, et ex hoc composita extollunt, ut Brunonis systematis sectatores; alii ea reprobant, ut venena humanae naturae infensissima; alii martialia effugiunt, quamvis ad roborandas vires, et menstruo-

rum fluxum promovendum efficacissima; alii camphoram evitant, quippe quae ardorem molestum inducit, quamvis ad fatiscentem partium tonum incitandum praestantissima videtur; alii tandem in curatione febrium intermittentium corticem peruvianum contra evidentiam vituperarunt, ejusque pravos effectus effinxerunt. Ab hisce vero erroribus deflectunt, qui medicinam rationi, et verae experientiae fretam addiscunt, et exercent. Hoc itaque velim quisque sibi persuadeat, quod ut res naturales systematibus submittere possibi-

le est, sic in morbis seu in perturbationibus naturae ordinem querere impossibile. Et ut quodvis systema, quod innumeras morborum origines ad paucas reducat, perniciosum, sic utilis et necessaria est morborum rationalis et ordinata divisio. Haec enim morbos inter se affines foedere jungit, et ad eorum conceptum facile sternit iter. Idcirco, ut practici solent, in classes, ordines, genera, species morbos distribuimus. In exponendis autem hisce generibus, et speciebus, summorum virorum observationes non praetermisimus, quibus nostras i-

dentidem addere non erubuimus; siquidem ab adolescentiae annis in nosocomio S. Spiritus totum ad contemplationem morborum animum adjecimus. Hac ratione opus ad juventutis commodum exaratum, utile futurum esse confido. Quod si assecutus sum gaudeo; sin minus, hoc me tamen consolor, quod medicinae tyrones meam erga eos voluntatem acceptam referent.

NIHIL OBSTAT

Fr. Carolus Thill August. Cens. Theol.

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Med. Colleg. Revisor Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni M. S. P. S.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constat. Vicesg.

CLASSIS PRIMA

FEBRES

GENERALIA DE FEBRIBUS

§. 1. Febris nomen alii a *ferveo*, alii a *februo* proficisci putarunt. Veteribus primi assentiebantur, qui essentiam febris in caliditate praeter naturam adaucta, vel in totum corpus, vel in plurimas partes diffusa reposuere: hinc Graeci πυρετὸν vocabant febrim, et Hippocrates τῦφ dum haec erat vehementissima. Secundi vero effectus febris perpendebant, quae saepe numero sanguinem, caeterosque humores ab impuris, noxiisque particulis liberat, ac inde sanitatem restituit.

§. 2. Febris est frequentissimus morbus, qui ne ipsi quidem foetui in matris utero latitanti parcit. Quoniam ab innumeris caussis oriri potest, juxta Sydhenamii sententiam duas morborum omnium comprehendit partes. Nil igitur mirum, si illos etiam, qui morborum caus-

sas sedulo effugiunt, certisque legibus vitam vivunt, saepe circumveniat. Inquit Swietenius in Boer. § 558. = Unde fere liceat asserere, neminem sine febre vivere hominem, imo et paucos absque febre mori. = Quapropter maximi momenti habenda est febrium doctrina, seu pyretologia, quam illustrare omni tempore plurimi doctissimi viri conati sunt.

§. 3. Natura, et caussa proxima febris, adhuc tenebris obruitur; hinc ejus accurata definitio in desideriis est. Praecipuae auctorum definitiones ab Ill. Burserio perpenduntur, et refutantur. Quaedam vero adsunt recentiorum, in quas aliquantulum spatiari lubet. Inter omnes notissima illa est Petri Franchii in epitome proposita, scilicet = Affectio irritatae per inconsuetum stimulum reagentisque naturae cum laesa abhinc functione aliqua =Haec quamvis apud multos maximi fuerit ponderis, experientiae tamen omnino non respondet. Etenim in quibusdam febribus ita sufflaminantur vitae vires, ut natura vi morbi confecta nec rea-

gat, nec ulla tentet reactionem. Auctor ipse animadvertit, interdum tam opprimi vitale principium, ut non reagat, sed potius reagere natura nitatur, quod, ut adnotavimus, non semper evenit. Curtius Sprengel pathol. special. tom. 1. §. 11. quid sentiat ita exprompsit = ad quaestionem, quid febris sit, ita respondemus, ut morbum statuamus, qui versetur in nimio, post impeditam conductionem, impetu per gangliosos organicosve nervos systemati vasorum providentes. = Secundum igitur hujusmodi definitionem febris in nervis dumtaxat habitat; non in laesa nervorum compage, sed in sola imponderabilium distributione prius impedita et retenta, postea vehementer incitata consistit; nunquam in febre retardatur pulsus, et ubi retardetur, et non mutetur temperies, febris non est, sed potius status, qui eam excipit, ut nervorum resolutio spasmum, gangraena inflammationem sequitur. Contra vero Sprengelii sententiam plura quidem objici possunt. Febris enim non solum nervorum,

sed etiam fibrarum irritabilium affectio esse videtur. In febribus irritativis cordis, et arteriarum irritabilitas augetur; in illis, quae a Darwinio inirritativae nuncupantur, cordis, et arteriarum contractilis vis imminuitur, pulsus debilior, et frequentior fit, sanguis minore impetu, et quantitate propellitur, ut in typho mitiori observandum est. Febris autem non semper in nimio versatur impetu; sed non raro imminuuntur motus, extenuantur vires, maxime nervorum, nullo modo mutatur temperies, ut in febribus mali moris videre est. Denique impedita prius, et deinde magis aucta imponderabilium conductio, arbitraria, et hypothetica omnino videtur.

§. 4. Si post irrita tantorum virorum tentamina, quid sentiam declarare fas sit, modo febris in nervorum irritatione, fibrarumque irritabilium, praecipue vasorum, incitatione ab insuetis stimulis sive externis sive internis acta; modo in nervorum sensilitate, fibrarumque irritabilitate a quibusdam perniciosis potentiis obruta,

posita esse mihi videtur. Dum ab irritatione nascitur, circulatio sanguinis, et calor augetur; dum vero a sensilitatis, et irritabilitatis depressione, aut non acceleratur sanguinis circuitus, aut tardior fit, calor aut fere naturalis est, aut imminuitur, aut inaequalis deprehenditur, viresque delabuntur, ut in malignis febribus observatur. Febrem igitur affectionem morbosam nervosi, irritabilisque systematis esse arbitror, quae plerasque corporis partes in consensum trahit, proindeque nulla datur functio, quae a febribus laedi non possit. Quapropter praeter respirationis frequentiam, quae illius pulsuum ad instar numeratur, saepissime salivae, bilis, materiei perspirabilis, urinae secretio, et ipsa nutritio depravatur.

§. 5. Quamquam exposita definitio mihi caeteris magis arrideat, tamen omnibus numeris absolutam dicere quidem non ausim. Quin igitur amplius de definitione dicamus, ad symptomatum considerationem descendamus, ut saltem ad morbi diagnosim statuendam perveniamus.

Symptomata a clinicis in antecedentia, seu prodroma, et constitutiva dividuntur. Prima praecedunt febrem, sed accidentalia sunt, utpote quae modo adsunt, modò deficiunt, ut crebro in nervosa contingit, quae interdum sine accidentalibus symptomatibus corripit, interdum ab ipsis longe ante praenunciatur. Inter febrium prodroma saepe observantur lassitudines, morositas, capitis gravitas, oculorum obtenebratio, torpor totius corporis, extremitatum, maxime inferiorum debilitas, dolores articulares, molestia a motu, sollicita defatigatio, oris siccitas, mucositas, cibi fastidium, nausea, propensio ad vomitum, sitis, pandiculatio et oscitatio, horripilationes cum pallore cutis, suppressa perspiratio, facies modo pallens, modo rubens, modo naturalis, oculi rubentes, micantes, turbidi, lacrymantes, somnus abruptus, nullus, ulcera, si incorporis superficie adsint, exiccantur, et livescunt. Hujusmodi signa saepe morantur, denec constituatur aegritudo. Secunda comitantur febrem, quae, ut inquit

Petrus Franchius, praecedentium signorum sunt continuatio, et augmentum. Ex istis frequentiora sunt horror, rigor, frigus; deinde calor, aliquando magnus et protractus; pulsus frequentes, aut celeres. Haec autem secundum febris indolem, aegri aetatem, et temperamentum, quoad intensitatem variant. Febres non semper frigore ineunt, et ideo caloris ratio nunquam ab hoc erit deducenda. Quoniam tempore frigoris retardatur humorum circulatio, quae etiam inaequalis, et interrupta fit, spasmo fibrae, et viscera afficiuntur, hujusmodi febris stadium a morbosa nervosi systematis affectione oriri videtur. In hoc cutis fit pallida, anserina, contracta, rigida, ungues pallescunt, et livescunt, labia pallentia, et livida evadunt, corpus contremiscit, et concutitur, saepe adsunt anxietas, respiratio difficilis, insensilitas, os et lingua sicca, mucosa, amara, sitis, nausea, vomendi cupiditas, vomitus, ventriculi molestia, urinae aqueae, crudae, copiosae, pulsus frequens, exiguus, intermittens,

debilis, contractus, tardus, rarus, inaequalis. Frigus autem modo verum, modo ad aegri sensum est, et cum calore vel naturali, vel excedente conjunctum. Aliquando intercurrit, aliquando in decursu febris constans est, ut in epiala Galeni, in qua aegri febricitant, et rigent, ac in quavis parte utramque sensationem experiuntur. Subinde breve est, ut in tertiana verna; subinde longum, et calorem vitalem extinguens, ut in quartana medio hyeme senem adoriente. Plerumque calor excipit frigus. Veri caloris febrilis caussa ambigua admodum est. Attamen perpensis omnibus, vel in nervorum sensilitate, fibrarumque irritabilitate incitata, vel in resurgente cordis, arteriarum, nervorum vi, tempore frigoris obruta, haec adinveniri videtur. Etenim caloris febrilis foenomena ab aucta circulatione nascuntur, videlicet dilatantur pulsus, velocesque fiunt, facies rubet, caput dolet, oculi splendent, respiratio velocior fit, ingenium acuitur, vomitus desinit, aut manet, sicut sitis, urinae flammeae, ru-

brae, crassiores, jumentosae. Dum autem calor ad sensum aegri est, in nervorum irritatione ab irritanti principio facta ejus caussa reponi videtur, ut in affectibus gastricis, et exanthematicis non raro observari solet. Modo calor praecedit frigus, vel sine frigore exoritur; modo intercurrit; ac pro varia febrium natura est plus minusve intensus, diuturnus, internus, externus, universalis, partialis. In ephemera ex. gr. et synocha simplici calor naturali est paullo major, mitis, humidus; in synocho putri intensior est, et pungens; in causone urens. Cum sanguis libere, et sine impedimento circulat, calor est universalis, quod bonum est; ex adverso si calor ingens circa vitalia tolleretur, dum extremitates frigescunt, ut in febribus mali moris accidit, malum. Frequentia autem, et celeritas pulsus non est constans febrium indicium, quamvis plerumque observatur. Propter enim diversam aetatem, sexum, temperamentum, anni tempus, animi affectus pulsus variant. Praeterea plures febres pulsus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

non commovent aut aliquando eos faciunt rariores, ut malignae, in quibus pulsus saepe naturalibus similes sunt.

§. 6. Ut de febris essentia, sic de ejus caussa proxima ambigitur. Alii cum Boerhaavio in velociore cordis contractione, cum aucta vasorum capillarium resistentia; alii cum Hoffmanno in spastica nervorum, fibrarumque contractione; alii cum Todio in irritatione communis sensorii; alii cum Cullenio in atonia minimorum vasorum, cui succedat spasmus, hujusmodi caussam nacti sunt. Harum vero opinionum refutatio apud Burserium invenitur. Siquidem nec a veteribus, nec a recentioribus nihil certi fuerit hactenus constitutum, caussam multiplicibus febrium generibus communem adinvenire, desperarunt plerique, inter quos cit. Burserius numeratur. Nihilo tamen secius mihi tantum animadvertere liceat, quod si omnium febrium symptomata vel ab irritatione nervorum, et incitatione fibrarum irritabilium, vel a sensilitate, et irritabilitate depressa originem habeant,

mihi rationi consentaneum videretur, vel in irritatione, et incitatione vel in depressione sensilitatis, et irritabilitatis hujusmodi caussam comprehendi.

§. 7. Caussae febris remotae innumerae sunt, quae aut ad eam disponunt, aut ipsi occasionem praebent. Hae in externas, et internas dividuntur. Pertinent ad primas alimenta, et potus quantitate, et qualitate peccantes; medicamenta nimis irritantia; venena; aer nimis frigidus, calidus, siccus, humidus; noxii vapores; immodica corporis exercitatio; omnia quae applicita laedunt, rodunt, urunt, inflammant: ad secundas animi pathemata, studia, et meditationes diuturnae; vitia sanguinis, et humorum; secretionum, et excretionum perturbatio; viscerum labes. Etenim ciborum excessus distendit ventriculum, comprimit diaphragma, nimis extimulat; defectus solidarum et fluidarum partium mutationem inducit, quia hujusmodi partes non reparantur, quae ab actione vitali continuo disperduntur. Alimenta ve-

ro si acria sint, ut caseus nimis asservatus, salitae carnes, et pisces, aut calore ventriculi acria fiant, ut in pluribus hominibus lac, irritant, et non bene nutriunt. Item potiones si deficiant, humorum acrimonia augetur; si immodicae sint, et spirituosae, febres crapulares advehunt. Hippocrates lib. 3. de morb. popul. IV. et V. aegroti historiam refert, qui ex potationibus in periculosam febrem delapsi sunt. Primus prima die vomuit biliosa, secunda surdus factus est, inde insanivit, quarta convulsiones habuit, quinta mane decessit. Alter ab ancipiti valetudine vigesima die se recollegit. Etiam medicamenta calidissima, incitabilia interdum febres pariunt. Quamobrem Sydenhamius ut colligitur ab Ep. 1. respons. et sched. monitor. de novae febris ingressu, in acutis febribus, ubi purgans, et vomitorium erat exhibendum, ad nimium concitatum sanguinis motum praecavendum, qui ab istiusmodi medicamentis excitari solet, venae prius sectionem instituit. Inter venena sunt quae tantam in-

citandi vim, acriterque solida irritandi habent, ut nisi subitam mortem, febres saltem vehementissimas inferant. Ab assumpto cum alimentis arsenico, cum siti, vomitu, torminibus ventris febrem excandescere vidimus. Expositae autem aeris qualitates facile febres vehunt; nam ex aere nimis frigido solida, et fluida densantur, et perspiratio minuitur; contra ex nimis calido laxantur solida, et insensibilis perspiratio augetur; ex nimis sicco supra modum abundans fit perspiratio, proindeque solida enervantur, humoresque acrimonia inficiuntur; ex nimis humido, quippe qui magnam aquae copiam continet, et multum elasticitatis, et ponderis amittit, nec corporum perspirabiles halitus recipiuntur, nec corpora, quae ipse circumfluit, satis comprimuntur. Qui igitur sub hoc aere vivunt, propter auctam serosam colluviem, solidorumque laxationem, gravitate, lassitudine, intumescentia laborant, ac febribus praecipue intermittentibus obnoxii sunt. Sic aër obest, si noxiis exhalationibus repletur,

nec satis ventis quatitur. In urbibus, nisi multiplices halitus, qui a viventibus, aut a mortuis animalibus, aut aliis corporibus efferuntur, ventorum flamen averrat, saepissime febres epidemicae suscitantur. Modica autem quies, et motus quam conferant ad conservationem salutis, nemo est qui dubitat. Si itaque solita quies, aut exercitatio auferatur, aut nimia sit, et diuturna, inter reliquos morbos, qui ab hac caussa nascuntur, adnumerantur febres. Hippocrates lib. 3. de morb. popular. adolescentis historiam narrat, qui septima die febre periit ex lassitudinibus, laboribus, et insolitis cursibus orta. Denique quidquid erodentem, urentem, lacerantem vim habet, febrem facile parit, maxime si circa tendinosas partes admoveatur, ut spina hisce partibus infixa. Internae caussae, ut gaudium, laetitia, moeor, terror, cupido venerea, ira, etc. tam perturbare valent corporis oeconomiam, ut saepe oriantur febres. Homo injuria laesus prius ab ira, dein a febre non raro corripitur. Idem faciunt as-

siduae investigationes, et lucubrationes, siquidem cerebrum, nervosque afficiunt, debilitant solida, et sanguis circuitum, secretiones, excretionesque laedunt.

§. 8. Febris in humano corpore evoluta varios effectus edit. Hujusmodi effectus aut boni sunt, aut mali. Interdum enim febris noxios, inertes humores, solidorum particulas ad organicam mixturam non amplius pertinentes subigit, corrigit, expellit; convulsiones, paralyses, vesanias resolvit; interdum vero tam saeva affert symptomata, ut in alium morbum, aut in mortem aegrotantes praecipitet. Juxta Hippocratis doctrinam boni effectus febris, qui, dum materia morbi ita immutatur, ut minus noceat, et de corpore expelli possit, habentur, sub coctionis nomine veniunt. Effectus autem, qui subita mutatione morbi in sanitatem obtinentur, et non mediocris perturbatio, quae hujusmodi mutationem aut praecedit, aut comitatur, crisim, seu morbi judicium constituunt. Haec crisis bona est; nam si morbi mutatio in subitam

mortem accidat, mala dicitur. Datur etiam imperfecta crisis, si scilicet mutatio ista penitus morbum non resolvat. Docuit Galenus in initio morbi nunquam fieri perfectam crisim; in ejus statu omnium optimam esse; in augmento vero imperfectam, minusve securam. Hippocratis, et Galeni sectatores contedunt, bonas, et perfectas crises in quibusdam determinatis diebus absolvi, qui dies critici appellantur. Dierum vero criticorum doctrina quamvis plerisque comprobata, tamen pluribus admodum dubia videtur, siquidem apud ipsos fundatores maxima reperitur contradictio: sed hanc quaestionem missam facimus. Recentiores in productione morborum, et febrium, materiem morbificam non admittunt; sed potius mutatam partium dispositionem, aut materiem aliquam incongruam inter partes haerentem recognoscunt; hinc ut redeat sanitas, aut partes in naturali dispositione restitui debere, aut demotas ab organica textura particulas, nec amplius vitalibus potentiis obnoxias, per emuncto-

ria expelli arbitrantur. Probabiliter hujusmodi demotae particulae aut a vasis lymphaticis absorbentur, aut ante absorptionem aliquam mutationem patiuntur. Quocumque autem modo res procedat, inter bonos effectus febris aut subactio, et eliminatio materiae morbificae veterum, aut praeparatio, et absorptio recentiorum illarum partium ab organis sejunctarum, nec amplius vitae legibus obtemperantium, recensenda est.

§. 9. Quin aliquando febris gravissimos morbos sanet, ut sunt paralyses, mania, podagra, etc. indubium est. Tempore forsan frigoris quia validissime partes concutiuntur, agitanturque viscera; aut tempore caloris, quia libere, et celeriter humores circulant, et in vasa agunt fortiter reagentia fit omnium miscela, obstructiones reserantur, impervii canales, humoresque tenacissimi resolvuntur. Experientia etiam probatum est, non raro febrem aut in alium morbum, aut in mortem desinere. Etenim nimis humorum motus vasa laedit, et dum liquidio-

ra disperdit, reliqua acriora fiunt. Ab hoc vehementi motu aliquando vasa rumpuntur, inflammationes accenduntur, ac mors sequitur. Dum autem motus febrilis languet, et vitae vires infirmae redduntur, saepe immanitati morbi natura succumbit. Interdum materiei morbificae metastases ad loca nobiliora fiunt; vel materies critica super aliquod nobile viscus deponitur: tunc temporis alii morbi excitantur, acceditque frequenter fati dies. Maxima solertia veteres febrium exitus respiciebant, ut ad impetrandam salutem naturae, et artis molimina opportune suscitarentur: tamen eorum medicina plus apparentia perpendebat symptomata, et minus quam hodierna veram, et intimam mutationem, et foenomenorum morbosi status originem scrutabatur. Recentiores enim primarios, et secundarios processus in morbis admittunt. Primarii aut simplici modo procedunt, aut insimul uniuntur, proindeque morborum complicationes ortum habent. Ex primariis processibus secundarii

nascuntur. Ita recentiores foenomena morbosi status explanant, aptisque medicamentis ad novas aegritudines superandas intendunt animum. Non semper revera in febribus a principio ad finem processus uniformes sunt. Febris intermittens non raro in suo cursu, aliqua accedente caussa, processui inflammatorio adjungitur. Febris intermittens perniciosa propter processus secundarios saepe interminatur vitam; nimirum tanta est nervorum debilitas, ut profundus sopor, aut aliud lethale symptoma nascatur. Metastases etiam tamquam processus secundarii habentur, qui interdum periculosi sunt. Non raro enim perierunt aegri, si materia morbi in aliquod nobile viscus transvehebatur. Ex hisce igitur patet, tam veteres, quam recentiores febris exitus, et in alios morbos transitus diligenter observasse.

§. 10. Ex caussarum, symptomatum, et effectuum febris cognitione generalis prognosis elicitur. Etenim caussae leves levem inferunt febrem; ut alimenta ni-

mis nutrientia, defectus alicujus sanguineae exonerationis in juvenibus, maxime tempore verno, excitant saepe febrem unius diei. Ex adverso si caussae in sanguineum, aut in nervosum systema vehementer agant, aut utriusque systematis vitalitatem prosternant, gravissimae febres inflammatoriae, vel nervosae proficiscuntur. In febribus epidemicis inter epidemiae initia arduum est statuere praesagium, aptamque medendi methodum; siquidem earum genius incognitus adhuc est: attenta vero observatione hujusmodi genius, convenientia medicamina, et ratio, qua ad sanandas febres natura medicatrix utitur, deprehenditur. Si quis autem morbi finem prospicere velit, per varia ejus stadia perpendat symptomata. Quo enim graviores sunt functionum laesiones eo pejor erit febris. Tamen in ortu acutarum febrium aliquando sub benignitatis specie periculum latet. Quapropter ad quaedam indicia mentem intendere oportet, quae de gravi discrimine semper admonent. Ex istis sunt anxietas, magna debilitas, ca-

lor ingens ad vitalia dum corporis extremitates frigent, delirium, pervigilium, sopor, convulsiones, tendinum subsultus, singultus, urinae tenues, alvus turbata, continuae ejectiones, et dejectiones, respiratio stertorosa, frigida, lingua sicca, nigra, tremula, copiosus sudor, viscidus, frigidus, partialis, extremitatum frigus, praecordia inflata, meteorismus, vomitus materiei pravae, animi deliquia, peticulae, aliaque hujus generis. Praeterea si acutae febres homines infirmae constitutionis, aliisque morbis laborantes, sensiles mulieres, et tenuissimae valetudinis, gravidas, puerperas, pueros, senes corripiant, periculosiores sunt. Maximi denique discriminis est symptomatum repugnantia, ut lingua arida, sicca, et nulla sitis; calor circa vitalia, et extremorum frigus; nec non magna faciei a statu naturali mutatio. Contra si vires vigentes sint, calor moderatus, aequalis, humidus, qui liberam humorum circulationem ostendat, facies parum immutata, nullus spasmus, signa bonae

criseos appareant, transitus febris in sanitatem praenoscitur. Quoad autem effectus febriles, si in cavis corporis locis plurima colligantur, et stagnent, ut in suo receptaculo bilis cystica; adeps in panniculo adiposo; mucus in cryptis ventriculi; saepe per febrim in motum deducuntur, et hujusmodi collectiones resolvuntur. In paroxysmis validioribus febris tertianae aegrotantes bilem evomunt, quae in cystide quiescebat, et exigua quantitate in duodenum fluebat. Ab agitatione febrili attenuata bilis non modo copiosius effluit, sed facilius absorbetur, et ideo colore flavo urinae, oculi, externa corporis superficies tinguntur. Eadem ratione caeteri humores coacti, qui sanitati, et vitae insidias struerent, per febrem dissolvuntur. In adversum si tempore aestivo febris synocha biliosa cum nimio bilis fluxu evolvatur, hepar statu quodam imflammatorio afficitur, qui vero gradum acutae hepatitidis non attingit; sed bilis tam affluenter secernitur, et tam irritantem qualitatem acquirit, ut aegrorum vires cito

delabantur, macescat corpus, ac vita in mortem mutetur. Ex hisce exemplis evidentissime patet, ex febrilium effectuum observatione salutis vel mortis indicia elucescere.

§. 11. Pro recta febrium curatione praecipienda, motus febrilis, caussae remotae, et symptomata in primis perpendenda sunt. Nimirum an motus febrilis moderatus sit, an excedat, an langneat. Si enim moderatus, nec turbandus, nec cohibendus est, ne intempestiva curatione boni febris effectus impediantur, eaque pejor fiat; si immoderatus, et vehemens, refrenandus est, ne ab impetu, quo vehitur sanguis plurima improba consequantur effecta; si denique languens, promovendus, incitandusque, quoniam suis viribus ad expugnandum morbum natura non sufficit. In caussarum remotarum perscrutatione respicienda in primis est aetas, sexus, temperamentum, vitae genus, consuetudo, regiones, dispositiones aut congenitae, aut haereditariae, aut acquisitae, constitutio aëris, et omnia, quae

ad febrem disponere, et ipsi accasionem praebere valent. Quamobrem si plethora, et nimia vasorum plenitudo, juvenilis aetas, florida temperies, caussae romotae sint, sanguinis missio, qua protinus plethora solvitur, praesens erit auxilium: si pravi humores, sordesque in ventriculo stabulantes, ex quarum stimulo producatur febris, cujus sub initio, praeter caetera gastrica symptomata, aut vomitus, aut vomendi voluntas adnotetur, statim vomitorium exhibendum est, ut morbi fomes expellatur: si saburrae in intestinis sistant, alvus ducenda: si febris a praepedita perspiratione nascatur, promovendus sudor, aut alia evacuatio, si id ad abigendam, vel corrigendam caussam opportunum videatur. Dum vero evacuationes comparari, aut remedia propinari debent, aegri vires, temperamentum, aetas, consuetudo, febrium grassantium natura expendenda est. Itaque si sanguinem mittere oporteat, ejus detrahendi quantitas a plethorae signis, a symptomatibus, ab aetate, et tempera-

mento indicatur. Dum autem calor, pulsusque vehementia persistat, maximum sit aegri robur, facies rubra, difficilis respiratio, iterum vena secanda est. Non raro ob nimiam plenitudinem naturae vires opprimuntur; hinc licet juvenilis sit aetas, temperies sanguinea, maximusque corporis vigor, pulsus depressus, obscurus, ac parvus fit: si hoc eveniat, sollicite sanguis minuendus est; nam depressio, et parvitas pulsus nihil obstat, quoniam vel a nimia quantitate sanguinis, vel a spastica fibrarum affectione dependent, quae, ut ait Burserius, fere nunquam, maxime inter initia, deesse solet. Etenim post sanguinis missionem vis cordis, et arteriarum oppressa erigitur, spasmique relaxantur. Generatim sanguis in initio febris mittitur, sed nunquam accessione inchoante, nec frigoris tempore, siquidem res periculosissima foret. Attamen quia in febrium decursu interdum variant morbosi processus, ut recentiores inquiunt, aut invalescit morbus, hinc quod prius non expediebat, postea expedit, quamvis

ad summum vigorem morbus pervenerit.

§. 12. Non solum quo melius essentiales morborum differentiae praefiniantur, sed etiam quo rectius instituantur curationes, in unoquoque morbo conditionem pathologicam nuperiores decernere solent. Pro hac autem conditione morbosum statum intelligunt, qui partem aliquam, aut aliquod systema perturbat, quin integritatem, saltem inter initia, laedat. Hujusmodi status morbosus semper diathesi jungitur. Affectiones morbosae universales, licet ad incitamentum pertineant, tamen plus in uno, quam in alio organo, aut systemate explicantur. Itaque febres biliosae a systematis biliaris alteratione; synochae ab affectione systematis sanguinei; gastricae a primarum viarum perturbatione; exanthematicae a stimulo in cute haerente; nervosae a nervorum infirmitate nascuntur. Praeterea nocuarum potentiarum actionem perscrutari recentiores non desinunt. Aër magis in cutem, et pulmones actionem suam exerit; cibi

et potus in ventriculum et intestina; somnus et vigilia in comune sensorium; motus et quies in systema musculare, et sanguineum; animi affectus secundum eorum varietatem in plura systemata. Magis etiam manifesta quorumdam contagiorum, et venenorum actio videtur. Contagium ex. gr. variolarum, morbillorum, scarlattinae cutim praesertim afficit; fauces, et oesophagum hydrophobicum. Sic plumbum, mercurius, etc. habent in aliquam partem agendi modum. Hujusmodi recentiorum argumenta, et investigationes summopere laudandae sunt, quoniam non raro veritatem detegunt; tamen conditiones pathologicas saepe esse hypotheticas, nec claram semper esse nocuarum potentiarum actionem, fatendum est. Quocirca in contemplandis, et curandis febribus, reliquisque morbis, tutius sequi, qui ducem habuerunt experientiam, majorique temperantia contemplationibus philosophicis usi sunt, arbitramur.

§. 13. Ubi symptomata nimis gravia et urgentia sunt, ne morbum augeant,

aliumve progignant, prompte sedanda, aut, si fieri potest, auferenda sunt. Cavendum vero est, ne compescamus, quae a salutaribus naturae motibus generantur, ut critica, aut quae a natura morbi sejungi non possunt. Si ex. gr. calor sit urens, et humores ob circulationis impetum alcalescentes evadant, emolumento sunt acquosa, diluentia, attenuantia, aperientia, subacida: si nimia sit nervorum sensilitas, et spastici affectus molestiam exhibeant, anodyna, et opiata cautim usurpentur; nam quae nimis incitant, nisi parca dosi, et partitis vicibus, aut praemissis venae sectionibus, aut purgationibus, si primae viae sordibus foedantur, dari non possunt: si alvus nimis compressa sit, enematibus moveatur: si dolor capitis urgeat, balnea pedum eum levant: si aegri soporem, et delirium patiuntur, vesicantia et epispastica expediunt. Verum ut symptomata mitigentur, et recte adhibeantur auxilia, caussae, a quibus ea proficiscuntur, observandae sunt.

§. 14. Veteres statum virium vitalium naviter perpendebant, quae in febrium decursu saepe destruuntur. Interdum hujusmodi vires ab ipso exordio febrium caussa delet; hinc opportuna sunt medicamina, et alimenta, quibus hae conserventur, eriganturque. Quapropter cortex peruvianus, camphora, cinnamomum, analeptica, cardiaca, vinum, vesicantia laudantur. Si vero debilitati virium nervorum irregularitas addatur, praeter roborantia, anodyna, et antispasmodica prosunt, ut moschus, castoreum, radix valerianae, et opium ipsum. Prudenter etiam ad excitandas vires alimenta exhiberi debent. Summus Boerhaavius tradit opportuna praecepta: ait enim aph. 599. - Vitae, et viribus consulitur cibis, et potibus fluidis, facile digerendis, putredini adversis, siti contrariis, appetitui citando idoneis, caussae morbi cognitae oppositis. - aph. 601. - Et quidem copia parca, saepe repetita: ne nimis laborare cogantur viscera, mutenturve. - Haec generatim de qualitate, et quantitate ciborum; sed

ut ex generalibus ad specialia in assignanda diaeta descendatur, quae in singulis aegris consideranda veniunt, aph. 602. exponuntur, scilicet duratio, et vehementia morbi, aetas, consuetudo, anni tempus, temperamentum, etc. Hujusmodi praecepta ab Hippocratis aphorismis deducta fuere, ut in suis commentariis doctissimus Svvietenius demonstravit. Denique quae diaeta convalescentibus conveniat, qui aër, quae exercitia, utrumne medicamenta adhuc expediant, perquirere necesse est.

§. 15. Antequam de febribus generalia linquamus, aliquid de earum ordinatione dicendum est. Ab Hippocratis usque temporibus solertem Nosologi dederunt operam, ut essentiales febrium differentiae distinguerentur, et in varia genera, et species ordinarentur. Attamen absolutum opus exoptatur adhuc. Qui enim a celeritate, et periculo in acutas, et chronicas tribuerunt febres, hujusmodi partitionem plurimis morborum generibus a febre distinctis etiam convenire, ideoque

propriam non esse febrium non animadverterunt. Praeterea celeritas, et periculum non peculiare genus, sed specialem potius differentiam constituit. Qui ab origine in primarias aut essentiales, et in secundarias, vel symptomaticas, febres dividunt, genera maxime inter se opposita ligant. Qui in epidemicas, stationarias, endemicas, et sporadicas, eas partiuntur, non vident, minime genus, sed generis differentiam constituere. Item qui in benignas, et malignas distribuunt febres, benignitatem, et malignitatem non mutare genus, sed generis minorem vel majorem pravitatem indicare, non considerant. Quid autem benignitas sit, aut malignitas a patologia habemus; sed quoad malignitatem febrium non una et eadem est apud auctores opinio. Tamen a plerisque malignae dicuntur, quae sub benignitatis specie, pravitatem abscondunt, sine evidenti caussa vires vitales abolent, et insolitis, copiosis, et repugnantibus symptomatibus sociantur. Qui autem ex praecipuis, evidentioribusque

symptomatibus genera, et species febrium statuerunt, a veritate aberrarunt; siquidem peculiare symptoma febris varietatem, non genus, et speciem potest designare. Melius mihi videntur cogitare, qui periodorum, et apyrexiae ordinem in dividendis febribus respiciunt, easque in intermittentes, et continuas bipartiunt. Etenim hujusmodi divisio facilis est, et utilis. Periodorum ordo est nota evidens, quae statim observantibus se offert, et aliquo modo febris naturam patefacit. Ob eamdem rationem hanc antiquissimam, et generalissimam divisionem Burserius prius amplexus est: deinde quia febres continuae aut uniformi motu, aut distinctis exacerbationibus, et remissionibus procedunt, ab intermittentibus ad continuas, quae dicuntur continentes, et ab his ad continuas remittentes descendit. Denique quoniam febres aliquando copulantur, nimirum aut ex continuis et intermittentibus, aut ex continuis continentibus, et continuis remittentibus coalescunt, quae vel proportionatae, vel com-

plexae, vel complicatae appellantur, de his seorsim tractavit, ideoque tribus praecipuis expositis differentiis quartam adjunxit. Verum hujusmodi quarta differentia supervacanea videtur, nam febrium compositiones, earum essentiam non immutant, ut ipsa experientia docet. Febres enim compositae aut sicut continuae, aut sicut intermittentes curantur. In dividendis vero febribus pluribus clinicis sola periodus non fuit satis, inter quos adnumeratur in primis Petrus Franchius, qui febrium caussas noluit omittere. Consideravit itaque periodorum rationem, innumerasque caussas, quas juxta affinitatem disponens, duos statuit febrium ordines, scilicet intermittentium et continuarum. In utroque autem ordine tria comprehendit genera a caussa deducta: hinc omnes febres, sive intermittentes sint, sive continuae, aut nervosas aut gastricas, aut inflammatorias esse contendit. Haec distributio intellectui admodum satisfacit, sed experientia scimus, plurimas alias esse caussas, quae cum istis affinitatem non ha-

bent, et ex quibus exurgere febres, quae nec nervosae, nec gastricae, nec inflammatoriae proprie sunt. Etiam Pinelio sola periodus sufficiens pro partitione febrium visa non est. Quapropter in Nosographia philosophica, desumptis manifestis characteribus, in sex ordines diduxit febres. Primus continet febres angiotenicas, quae praesertim ab irritatione tunicarum vasorum sanguineorum distinguuntur; secundus meningogastricas, quarum primaria sedes in epigastrica regione, et organis digerentibus esse videtur; tertius adenomeningeas, quae a membranarum mucosarum irritatione alimentares vias obducentium pendent; quartus adynamicas, quae in sensibilitatis imminutione, fibrarumque muscularium atonia consistunt; quintus ataxicas, quae a nervosis symptomatibus manifestantur, siquidem nervorum origo a morbosis caussis afficitur; sextus adenonervosas, quae totidem sunt febres ataxicae cum affectione glandularum conjunctae. Has febres in unoquoque ordine comprehensae, modo

sub continuarum, modo sub remittentium, modo sub intermittentium specie se ostendere posse videntur, quamvis auctor fassus est, non bene constare, an febres inflammatoriae sub forma remittentium, aut intermittentium procedant. Hujusmodi partitio magis quidem extenditur; sed quis innumeras febrium caussas in solida semper prius agere, et conditiones primarias morbosas in solidis haerere, poterit certe affirmare? Sunt febres, quae solis potionibus, et alimentis caussae earum oppositis superantur. Quod chyli naturalem compositionem immutat; principia, quae absorbentur, et fluidis prius immixta circulant, ut contagia, corpora imponderabilia, idest caloricum, lux, elecricitas, vitales actiones vario modo perturbant, febresque inferre valent. Sunt qui hujusmodi principia tamquam stimulos fluidis additos habent, et in solidis tantum processus morbosos iuducere credunt. Nemo autem fidenti animo potest asserere, morbosam mutationem in fluidis interdum prius non evenire, ex qua non unum,

sed varia deinde affici possunt systemata. Praeterea nemo est, qui actionem contagiorum praefinire valeat. Recentiores autem, qui aegritudines in sthenicas, aut ypersthenicas, et in asthenicas, aut yposthenicas diducunt, inter morbos actionis auctae adnumerant febres. Hanc generalem morborum divisionem amplexus Barzellotti, in prima classe, et ordine includit febres, quas in quatuor genera dividit, varias species, ao varietates continentia. Complectitur primum genus febres simpliciores, seu synochas; secundum inflammatorias, non solum simplices, sed etiam inflammationibus membranarum, et viscerum consociatas; tertium exanthematicas contagiosas, quibus adjunguntur exanthematicae contagiosae, larvatae ab auctore dictae, ut febris mucosa, biliosa, hectica etc; quartum miasmaticas, aut periodicas, inter quas remittentes periodicas perstringit. Si vero nonnihil haec ponderetur divisio, nullo negotio primum comprehenditur, non semper febres ad morbos actionis auctae spectare, quod auctorum testi-

monio, et experientia confirmatur. Plures enim sunt febres, quarum diathesis non in nimio solidorum vigore, et nimia fluidorum vitalitate consistit; plures, quae sine circulationis, et caloris augmento corripiunt; plures, quae sub benignitatis aspectu nervorum, cordis, et arteriarum actionem prosternunt. Praeterea in hac divisione febribus inflammatoriis viscerum, et partium inflammationes miscentur, in quibus febris primaria non est: cum febribus etiam confunduntur exanthemata, quae, si primaria, ad eas non spectant, quoniam interdum nec antecedente, nec comitante febre, absolvunt cursum, prout eorum natura postulat; si symptomatica, non faciunt, ut febres, in quarum curriculo forte erumpunt, ad exanthematicas pertineant: denique inter miasmaticas adnumerantur febres continuae remittentes, quae saepe a nullo miasmate pendent. Brevi igitur auctorum praecipuis divisionibus comprehensis, veniamus ad eam, quae, utpote simplicior,

majoris adjumenti, et utilitatis medicinae tyronibus nobis visa est.

§. 16. Febrium periodus, quamvis ad statuendos ordines, et genera non sufficiens videatur, tamen indubium est, quin febres intermittentes a continuis quoad caussam, decursum et curationem prorsus distare. Frequentius enim intermittentes febres a palustrium miasmatum actione producuntur, in earum cursu spatia verae, et perfectae integritatis obtinentur, denique omnes peruviano cortice curantur. Idcirco non sine aliqua, et quidem firma ratione a periodo duo statui possunt ordines, nimirum unus intermittentes, alter continuas comprehendens. Quoniam autem intermittentes ita interdum accedunt, et decedunt, ut inter paroxysmos vera, et perfecta relinquatur integritas; nec nervosum systema ita vehementer lacessunt, ut inde gravia, et lethalia symptomata exurgant; interdum contra obscuram habent periodum, et tam valide cerebrum, nervosque appetunt, ut propere necem afferant, in primo ordine

duo ponemus genera, quorum primum intermittentes puras, alterum nervosas seu perniciosas contineat. Quoad autem continuas, siquidem aut ob constantem caussarum efficaciam a principio ad finem continenter procedant, aut ob caussarum actionem modo forsan majorem modo minorem, quadam exacerbationum, et remissionum ratione suum cursum implent, in secundo ordine duo etiam genera constituemus, quorum primum continuas continentes, secundum continuas remittentes complectatur. Huic sane divisioni vitio vertetur primo quod febres intermittentes in duo diducuntur genera, dum inter se, nisi gradu, non differunt; secundo quod sub continuarum generibus alligantur species, quae nullam inter se affinitatem habent. Ad haec, quae nobis objici possunt, ita respondemus. Quamvis febres intermittentes non discrepent nisi gradu, tamen tantum est discrimen quoad intensitatem symptomatum, earumque effectus, ut a ratione tam alienum non sit, eas in duo genera distri-

buere: species autem continuarum a nobis sub iisdem generibus collocatae, licet ratione praesertim caussarum inter se aliquantum distent, nihilo tamen secius periodi similitudo aliquam esse affinitatem suadet. Hujusmodi denique objecta, quamquam magni ponderis sint, inter imperfectas, magisque compositas divisiones, simpliciorem consectari satius visum est.

ORDO PRIMUS

Febres intermittentes

GENUS PRIMUM

Febres intermittentes purae.

§. 17. Febris intermittens pluribus componitur paroxysmis, quos liberum aliquod temporis intervallum sejungit. Tempus, quo febris viget graece πυρεξία, latine febricitatio dicitur; quo vero deest απυρεξία, seu infebricitatio, aut quies. Intermittentium distinctiones, et denominationes plures sunt. Inter has notissimae, magisque familiares sunt quotidiana, tertiana, quartana. Quotidiana post aliquot integritatis horas quotidie adoritur; tertiana post diei intervallum tertia quaque die invadit; quartana, duabus interpositis diebus liberis, quarta quaque die aggreditur. Aliae rarissimae sunt, ut quintana, sextana, septimana, octana, nonana, decimana, quatuordecima-

na, quindecimana, menstrua, bimestris, trimestris, annua. Harum febrium apud auctores fide dignos non desunt exempla. Generatim intermittentes febres, quae habent firmum ordinem, appellantur periodicae; quae vero eo carent, erraticae, et vagae. Inter autem erraticas et vagas quaedam differentia ponitur; nimirum primae dicuntur, quae ordinem obtinent sed facile mutabilem, secundae, quae inordinate progrediuntur.

§. 18. Quoniam intermittentes febres saepius totum corpus, sed aliqando ejus tantum partes afficiunt, non immerito in universales, et partiales a practicis dividuntur. Partiales, etiam topicae nuncupatae, consuetis intermittentium symptomatibus prodeunt. In militari Urbis nosocomio in sinistro brachio febrem tertianam topicam observavi, quae prius partis affectae frigore, dein calore, tandem sudore apertissime declarabatur. Pertinent ad topicas, quae larvatae appellantur. Larvatae sunt, quae sub aspectu alterius morbi, et sine evidenti febre, sal-

tem universali, periodice recurrunt, ut hemicraniae, epilepsiae, affectiones hystericae, etc. Hujusmodi vero affectus quibusdam placet potius periodicis morbis, quam febribus adscribere.

§. 19. Ratione temporis, quo febres intermittentes exoriuntur, in vernales, et autumnales distribuuntur. Primae inter februarium et augustum, alterae inter augustum et februarium regnant. Plerumque vernales mites sunt, curatu faciles, ad recidivam non pronae, inflammatoriamque indolem aliquatenus induunt. Tempore enim verno salubri, et temperato aëre afficiuntur corpora, quae sudoribus, et caloribus non enervata, gravissimis morbis obnoxia non sunt. Non raro vernales febres salutares effectus edunt, siquidem plura incommoda, humorumque vitia hyeme comparata feliciter averruncant. Ex adverso autumnales magis graves sunt, irregulares, longae, duplicatae, ad recidivam proclives, remediis, et ipsi peruviano cortici haud facile obsequentes. Saepe vernales et autumnales invicem

excipiuntur, ac mutuo se fugant: interdum vero vernales autumnalium, autumnales vernalium characteres adsciscunt. Indubiam reperimus Sydenhamii observationem sect. 1. cap. 5. asserentis, intermittentes febres epidemice vagaturas maturius adoriri, tardius dum minus frequenter erant depraedaturae. Hoc ab aëris qualitatibus pendet, quae earum productioni vel propitiae, vel adversae sunt. Quoniam autem vernales et autumnales diversum habent ingenium, earum distinctio ad prognosim, et curationem faciendam, utilitate non vacat.

§. 20. Jampridem intermittentes febres in depurativas, et corruptivas dividebantur. Primae dicebantur mitiores, quae a vitiosis humoribus purgant corpora; secundae quae fluidorum, et solidorum naturam vitiant. Hujusmodi divisio quamvis omnino respuenda non videtur, tamen animadvertendum est, quod etsi febres utiles inducant effectus, semper a morbosis caussis proficiscuntur, ac plus minusve corporis functiones invertunt,

ideoque ut totidem morbi singulae habendae sunt.

§. 21. Notissima est intermittentium divisio in epidemicas, endemicas, et sporadicas. Nonnulli autem asserunt, perniciosas epidemice grassantes, contagiosas etiam esse, quoniam ab istis febribus ita humores corrumpi existimant, ut inde contagionis eliciantur elementa. Hoc vero mihi videtur experientiae refragari. Dum enim per Romanos agros, et loca maritima populariter debacchabantur perniciosae, et in nosocomium S. Spiritus coloni hisce affecti conveniebant, eas in alios propagari nunquam vidimus.

§. 22. Intermittentium accessiones tribus plerumque stadiis constant, scilicet frigoris, caloris, sudoris. Sunt quaedam indicia proximam accessionem denotantia, ut lassitudo, et gravitas corporis, oscitationes, pandiculationes, artuum, ac lumborum dolorosa sensatio, dorsi, et extremitatum rigores, pulsus ut plurimum tardus et contractus, etc. In stadio autem frigoris corporis superficies pallescit,

ungues, nasi apex, oculorum anguli, labia, digiti livescunt. Paullatim frigus sensibilius evadit, quatiuntur membra, praesertim maxilla inferior, et hinc vehementer alliduntur dentes, arriguntur pili, caput dolet, augentur artuum dolores, molestat sitis, oris ariditas, nausea, vomitus, aut vomendi cupiditas, respiratio anxia, tussis; pulsus sunt debiles celeres, frequentes, parvi, inaequales; urina copiosa, et aquea mingitur. In hujusmodi stadio frigoris tres distinguuntur gradus; primus cum corpus friget, quin concutiatur, refrigeratio, aut perfrigeratio nuncupatus; secundus dum corpus, ejusque membra contremiscunt, aut contremiscere videntur, qui dicitur horror, seu horripilatio; tertius. ubi membra quatiuntur, rigor appellatus. Hisce in gradibus magis aut minus in toto corpore contundentis doloris molesta sensatio percipitur. Frigoris stadium ad horam unam, aut duas, raro ad tres, aut quatuor, rarissime ad sex extenditur. Frigori succedit calor, proindeque illius symptomata cessant. In

hoc caloris stadio pulsus fiunt ampliores, respiratio liberior, crescit capitis dolor, vexat sitis, facies rubet, urina coloratior secernitur. Aliquando adeo augetur calor, ut mordax, et ureus evadat: aliquando ex adverso est vix sensibilis, nec praegresso frigori respondet. Hujusmodi stadium ad aliquot horas protrahitur, nec in legitimis intermittentibus minus, quam quinque, aut sex percurrit horas. Post calorem erumpit sudor, et hinc gradatim caloris symptomata mitescunt. Mollescunt pulsus, imminuitur capitis dolor, urina est pauca et colora, sedimentum lateritium deponens. Sequitur intermissio. Dum aeger non adhuc convaluerit, manent aliqua signa, quae aliam accessionem enunciant, ut capitis dolor, lingua sicca, alba, sitis, pulsus imminutus, creber, respiratio non expedita, incitamentum ad tussim, etc. Si vero absolute recuperata sit sanitas, exposita signa prorsus absunt, nec ulla remanet molestia paroxysmorum propria, nimirum debilitatis sensus, appetitus defectus, som-

nus inquietus, non reficiens, imaginibus abruptus. Monendum autem est, febres intermittentes non semper constanti ordine sua percurrere stadia. Modo enim sudore, aut calore exordiuntur paroxysmi, quod aestivo tempore saepe contingit, modo post calorem prehendit frigus, modo frigoris stadium, quo plerumque inchoant intermittentes, omnino deest. Hisce in casibus difficilis est prompta morbi cognitio, et an febris continua sit, vel intermittens jure dubitatur. Quandoque etiam autumnales febres intermittentes palam non corripiunt, et ab exordio continuarum speciem praeseferunt, accessionibus perspicuis non constant, quarum stadia non bene discernuntur. Tamen si sedulo symptomata omnia examinentur, morborum dominantium exquiratur ingenium, natura locorum, atmospherica constitutio, non tam facile in errorem adducimur.

§. 23. Caussa proxima intermittentium latet. Circa eam multiplices auctorum opiniones referre supervacaneum censeo,

quoniam Ill. Burserius praecipuas exposuit, diluitque. Nos tamen de recentiorum quibusdam sententiis aliquid dicere non omittimus. Inquit laudatus Burserius unam esse intermittentium caussam proximam, quae gradu potentiae tantum differt. Hanc vero caussam febrilem fomitem appellat, modo uni, modo alteri loco magis insidentem, aut certe infestiorem. Hujusmodi fomes suam forte exerit vim, cum ad primaria circulationis organa perveniat, proximiusque afficiat nervos, praecipue qui a spinali medulla procedunt, aut ad viscera abdominalia spectant. Nos autem quaerimus, quid sit fomes. Si nemo ejus naturam definire poterit, eum pro caussa proxima ponere, incognitum esset per incognitum explicare. Doctissimus Sprengelius pathol. special. tom 1. §. 38. primariam intermittentium caussam esse impeditam conductionem, et consumtionem imponderabilium in splanchnico systemate arbitratur. Hanc opinionem ita probat. Si a caussis manifestis supprimantur vires, tantum non consumitur,

quantum per nervos advehitur; hinc accumulatur quod nervis conducitur, unde frigus; sequitur calor cum palpitatione cordis, et pulsibus crebrioribus, concitato impetu ad plexum cardiacum. Tandem sudoribus, aliisque excretis humoribus, status restituitur, et fixus ordo, quo nervi agunt, et imponderabilia conducuntur. Si autem contra hanc Sprengelii sententiam aliquid dicendum est; quid est magis hypotheticum, quam imponderabilium per nervos conductio? Etsi haec corpora existentiam habeant, quomodo probari potest ab impedita horum conductione, et comsumtione caussam primariam intermittentium oriri? Plurimae enim sunt caussae occasionales, quae nec supprimunt vires, nec viscerum atoniam inferunt, ideoque non impediunt, quominus conducantur, et consumantur imponderabilia. Nil ex. gr. frequentius est, quam autumnali tempore intermittentes febres a caussa rheumatica produci, quae nec debilitat vires, nec in splanchnicum agit systema. Ergo caussa pri-

maria a Sprengelio posita hypothetica prorsus videtur. Plerique sunt recentiores, qui intermittentes febres ab alteratione sanguinis, et humorum, nervosique systematis pertubatione, ab actione palustris miasmatis allata, proxime nasci contendunt. Hujus autem miasmatis constituens pars hydroginium esse creditur. Hoc enim abundanter evolvitur ubi organica corpora putrescunt, et cum aliis elementis combustibilibus composita malignae indolis efformat. In regionibus paludosis ob copiosam aquae stativae decompositionem a radiis solaribus productam, corporumque putrefactionem, gaz hydroginium azotatum abundat. Secus maris litora, ubi vegetabilia deficiunt, quae foliis hydroginium absorbent a continua corporum, et aquae decompositione extricatum, familiares sunt intermittentes febres; ut si venti australes hoc gaz exuberantes spirent. Quamvis vero indubium sit, quin miasma palustre frequentior, et efficacior intermittentium caussa sit, tamen animadvertere fas est, ab aliis eti-

am caussis hujusmodi febres oriri. Sobrii homines, qui salubrem aërem respirant, nullumque errorem in diaetetico patrant regimine, interdum febribus intermittentibus, licet rarius, implicantur. Sic aliquando ab animi pathematibus, gravibus humorum jacturis, qualitate, et quantitate alimentorum, labore immodico, veneris abusu, partium sensibilium irritatione, hujusmodi febres oriuntur. Fatendum igitur est, magnam quoad hanc caussam proximam obscuritatem superesse, nunquam forte allevandam. Quocirca satis mihi videtur statuere, caussam intermittentium primariam, quaecumque ipsa sit, peculiari modo in nervosum systema praesertim agere, easque progignere. Etenim perniciosae febres totidem sunt nervosae, quae ab aliis intermittentibus nisi majore gravitate, et periculo non differunt. Hinc benignas intermittentes etiam nervosas, sed admodum mitiores, esse colligitur. Praeterea si periodici recursus nervosarum affectionum etiam proprii respiciantur; si consideretur, peruvianum

corticem et intermittentium febrium, et nervosarum aegritudinum praecipuum esse remedium, dubitari non potest, quin intermittentes febres sive benignae, sive malignae ad nervosi systematis affectionem pertineant. Hinc intelligitur, cur illae caussae occasionales, quae actionem suam in nervos dirigunt, frequentiores, et valentiores sunt, ut miasma palustre squalidus aër, nocuisque halitibus refertus, animi deprimentia pathemata, humorum nimiae jacturae, aut vitia, labores immodici, gastricus fomes, eadem plethora, quae si febres intermittentes pariat, sola sanguinis missione hae consanescunt. Intelligitur etiam, cur febres intermittentes benignae a male institutis purgationibus, aut sanguinis missionibus pravam naturam assequantur; homines autem debiles, et maxime sensibiles, magis hisce febribus obnoxii sint.

§. 24. Ut reotum febrium intermittentium purarum praefiniatur praesagium plura quidem sub oculis habenda sunt, nimirum natura locorum, aegrotan-

tium constitutio, aetas, anni tempus, caussae remotae, symptomata. Generatim intermittentes purae, et legitimae periculo carent; quin interdum juvant, ubi scilicet alias morbosas affectiones, aut pravas dispositiones abigunt. Idcirco qui harum cursum inconsulto reprimunt, in morbos vel acutos, vel chronicos, aegrotantes impellunt. Cum vero non semper bonos effectus inferant, imo aliquando graviores fiant, nunquam negligendae sunt, ne contemptae, portendant discrimen. In paludosis regionibus, ubi perniciosae familiares sunt, etiam intermittentes benignae, maxime aestivo, et autumnali tempore, suspicionem injiciunt. Quae brevem concedunt apyrexiam in febres acutas continuas facile migrant; quae autem longam, ad chronicas affectiones propendent. Hinc si primae incitantibus remediis immediate curentur, inflammatoriae febris characteres acquirunt; si alterae peruviano cortice confestim non expugnentur, viscerum abdominalium obstructiones, scirrhi, oedema pedum, hy-

dropes, icterus consequuntur. Quae autem ad febres acutas vergunt, accessiones anticipant. In universum quotidianae tertianis sunt longiores; quartanae omnibus pertinaciores, utpote quae ad menses, et ad annos producuntur. Vernales autumnalibus sunt breviores. Prava corporis temperies, cachecticus habitus, virium dejectio, morbosae affectiones, senilis aetas, in metum conjiciunt, ne intermittentes febres, etsi benignae, sive mortem, sive aliam aegritudinem advehant. Aliquando in paroxysmorum recursu pueri convulsi pereunt: senes ab intermittentibus etiam simplicibus jugulantur. Quae tempore verno a levibus caussis in juvenibus oriuntur, nec longae, nec periculosae sunt; quae vero tempore aestivo valetudinarios corripiunt, et a caussis nervos nimis afficientibus ortum habent, periculo quidem non carent. Denique levia symptomata, nullus morbus prius existens, excretiones rite absolutae, sudores universales cum levamine, vesiculae, et ulcuscula labiorum, intermit-

tentium febrium brevitatem promittunt: contra prava temperies, cacochymia, magna virium, et viscerum infirmitas, praecipue si purgantia, et sanguinis missiones improvide fuerunt institutae, earum diuturnitatem indicant, aliaque incomoda portendunt, nimirum viscerum obstructiones, scirrhos, cancros, hydropes, icterum, etc. Aliquando apparent signa, quae morbi solutionem spondent, ut lienis tumor, oedema pedum, quod vero perpetuum non est; aliquando quae mortem minantur, ut extrema virium destitutio, macies, raucedo, oculi cavi, facies hippocratica. In infantibus saepe ab intermittentibus inducitur macies. Eorum enim membra absumuntur, venter tumidus, ac durus evadit, tussiunt, evomunt quidquid hauriunt, lentoque gradu mortem obeunt. Post diuturnas intermittentes, praecipue quartanas, peculiarem, ac sui generis maniam observavit Sydenhamius, quae communem medendi methodum omnino respuebat. Ipse etiam in describendis febribus annorum 1661. 62.

63. 64. adnotatu dignissima reliquit, ex quibus aliquid referre lubet -- Observatu non indignum est, quod cum febres autumnales teneram aetatem diu cruciarint, nulla spes sit easdem abigendi, donec abdominis regio, circa lineam praecipue, indurari atque tumefieri occeperit; iisdem enim gradibus, quibus hoc symptoma supervenerit, febris etiam fugam meditatur. Neque forte ex meliori aliquo prognostico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam si sedula animadversione suboriri hoc symptoma perspexeris. Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando spectantur. -- Ex hisce in regnantibus morbis omnia observandi necessitas elucet, ut praecipue rectum pronuncietur judicium.

§. 25. Quoad febrium intermittentium purarum curationem plura animadvertenda sunt; ut praesertim caussae remotae, aegrorum temperamentum, aetas, annua morborum constitutio. Inter hujusmodi febres sunt quae arte non egent, et

aliquibus tantum cautelis relevantur. Sunt praeterea quae facile curantur, habito scilicet respectu, ad caussas remotas, aegri constitutionem, et morborum dominantium ingenium. Hinc modo sanguinis missione, si se sistat plethora, modo purgantibus et emeticis, si sordibus primae regiones scateant, fugantur. Monendum vero est, intermittentes benignas raro sanguinis missionem postulare; hac enim graviores, et diuturniores evadunt. Tamen tempore verno, cum humores abundant, et rarefiunt, ac nimis excitatur vitalitas, auctiore, et exquisitiore a praegressa hyeme reddita; si antiqua in aegris imminuendi sanguinis sit habitudo; aetas florida, temperamentum sanguineum, dispositio inflammatoria, vasorum plenitudo, febris vehemens, et ad continuitatem proclivis, nec non cum aliquo gravi symptomate consociata, idest profundo somno, delirio, dolore capitis, pectoris, sanguinis sputo, etc. venae sectio prodest, dummodo nihil sit, quod eam vetet. Cum autem haec opportuna judice-

tur, tam in accessione, quam in intermissione institui potest; sed fugiendum est primum frigoris stadium, in quo maxime obest. Stadium caloris aptius est, cum symptomata vehementia sunt. Errant igitur, qui in intermittentibus febribus sanguinis missionem constanter respuunt, ex eo quod a corporis debilitate eas oriri putant. Quae revera inveniretur debilitas in florido, et robusto juvene, sive a suppressis, vel imminutis naturalibus sanguinis evacuationibus, sive ab alimentis copiosioribus, et nimis nutrientibus ingestis, aut potionibus spirituosis haustis, in febrem intermittentem delapso? Nonnulla sunt evidentia signa, quae virium, et sanguinis exsuperantiam denotant, ut pulsus vehemens, facies rubra, et turgida, carotides valde pulsantes, sitis, dolor capitis, delirium, urinae flammeae. Hisce urgentibus, si stimulantia exhiberentur remedia, febres intermittentes, etsi benignae, statim graviores fierent. Quod de missione sanguinis dictum habuimus, de purgantibus etiam dicendum est. Ete-

nim propter saburrarum gastricarum defectum; peculiarem annuam morborum constitutionem; febrium indolem; purgantia saepe locum non habent: propter contrarias rationes, opportuna, et necessaria saepe sunt. Si haec, ubi non expediant, porrigantur, intermittentes diuturniores, et deteriores evadunt; si contra, ubi conveniant, negligantur, pejores aeque fiunt. Interea cognoscere interest, an purgans, vel emeticum juvet. Hoc a signis colligitur, quae aut saburram in ventriculo, pravamque bilem in duodeno, et cystifellea; aut in intestinis immorantes sordes ostendunt. Quapropter antecedentium caussarum consideratio, temperies biliosa, sapor amarus, lingua tenaci, et luteo muco obtecta, animae gravitas, nausea, ructus amari, et nauseosi, appetitus defectus, oculorum flavedo, urina lutea, sitis, vomitus, dolor capitis, vertigines, sensatio ventriculi molesta, hypochondria tumentia, emetici necessitatem declarant. Attamen nullo modo hujusmodi remedium est usurpandum,

si aëger maxime debilis sit, haemoptysi obnoxius, et ad apoplexiam dispositionem habeat. Si vero inter obstacula, quae emeticum impediunt, non sit, nisi vasorum plenitudo, hanc prius abducere satis est. In diuturnis intermittentibus, et autumnalibus nil magis, quam emesis conducit, quippe quae circulationem commovet, lentosque humores resolvit. Verum in primo febris ingressu vomitus removendus est, ne turbae, ac spasmi augeantur. Quaestionem de tempore, quo propinetur emesis, missam facimus, nam opportunius dari in apyrexia, nec statim post accessionem, nec prope eam, satis compertum habemus. Cum autem gastrica colluvies in intestinis sistat, utiliora emeticis purgantia sunt. Hujusce colluviei praecipua signa sunt dolores, et distentio ventris, foetida excrementa, biliosa, vermium praesentia, etc. Purgantia vero talia sint, quae impuritates detrudant, quin viribus, atque visceribus officiant. Nunquam igitur sine delectu porrigenda sunt, et in primis aetas, vires, vitae genus,

temperamentum, consuetudo respicianur. Aestivo tempore, et nimis calido, dum bilis irritat intestina; lenes purgationes praeponantur. Si temperamentum sit pituitosum, ac multae coacerventur impuritates, validiores magis utiles sunt. Purgantium actioni clysteres favent, qui interdum ad intestinorum sordes deturbandas sufficiunt.

§. 26. Dum febris frigore aggreditur, magnum saepe turbamentum infert. Hoc igitur tempore intempestivis auxiliis corpus non est commovendum, sed potius ejus commotiones in tranquillum conferre debemus, Solum indumentis operiatur aeger, a frigidis potionibus abstineat, et si siti afflictetur, aquae tepidae aliquatenus hauriat, ut labia, faucesque humectentur. Si frigus ingens, spasmos, et tumultus, capitis dolorem mitigare necesse sit, aliqua uncia aquae lactucae cum aliquot guttis laudani liquidi Sydenhamii tam utiliter utimur, ut prompte mitescere spasmos, et dolorem capitis, calorem modicum revocari, constanter de-

prehendamus. Cum autem cessat frigoris stadium et illud caloris incipit, potus copiosior et acidulus prodest. Quidam Ill. Giannini opinionem sectantes, frigidas immersiones praecipiunt, quae licet interdum utiles, saepius damnosae sunt. Aliae enim sunt febres vernales, quae integrum cursum absolvere debent, ut a pluribus instantibus morbis corpus liberent; aliae perniciosae, quae statim vires prosternunt; aliae, quae naturam habent inflammatoriam, earumque symptomata catarrhalia, aut pleuritica sunt; aliae, corruptivae olim nuncupatae, quae debilitant, humoresque vitiant. Hisce in casibus, aliisque plurimis frigidae immersiones perniciosae sunt. Denique in stadio sudoris, cum hic libere erumpit, non concitandus; si vero lente prodeat, potionibus diaphoreticis leviter ciendus est.

§. 27. Hisce praemissis, ad antifebrilia veniendum est. Inter hujusmodi remedia peruvianus cortex primum locum obtinet, licet multa sint amara, et tonica, quae antea et postea corticis inven-

tum optimo jure antipyretica fuerint judicata. Hujusce corticis, vix per Europam evulgati, paucae drachmae non solum intermittentes benignas, sed etiam malignas edomabant. Posteaquam vero a multis caussis, sed praesertim mercatorum fraude, fuit divinum remedium adulteratum, major ejus quantitas ad fugandas febres postulatur. Varia esse potest methodus exhibendi corticis; sed quoniam aliquod requiritur temporis spatium ut in morbum suas vires impendat, in febrium intermissione, aut remissione, sicut in subcontinuis usuvenit, dandus est, ut novi paroxysmi cohibeantur. Hujusce remedii quantitatem generatim definire non possumus, siquidem haec ab ejus qualitate, aegrotantium aetate, et febrium natura dependet. Tamen experientia scimus, aliquot uncias in benignis intermittentibus sufficere; majorem quantitatem in corruptivis; maximam in perniciosis esse necessariam. Dum febris abierit, statim cortex linquendus non est; sed ad plures dies, etiam ad quadraginta conti-

nuandus, licet exigua dosi, ut ipsa febris recidiva non fiat. Si cortex praeberi nequeat, ut in hominibus sensibilibus, foeminis delicatulis, pueris saepe accidit, ad ejus praeparationes confugiendum est, ut sunt decoctio, extractum, syrupus, elixir, electuarium, etc. Juvat etiam cortex ano injectus, licet ore assumptus, glutitusque valentius agat. Corticem pro pueris in aqua theriacali, et florum aurantiorum cum optimo melle, aut aliquo syrupo miscere solemus, ut puerorum aetas improvida ludificetur, labrorum tenus. Nostris vero temporibus maxima aegrorum commoditate, et lucro, loco peruviani corticis, adhibere possumus substantias alchalinas chemica analysi ex variis ejus speciebus eductas, nimirum cinconinum, et chininum, earumque praeparationes, praecipue utriusque sulphates. Earum enim antipyretica vis tam indubia est, ut corticis virtutem aequiparare plerique contendant. Tamen in perniciosis curandis satius mihi videtur corticem administrare, qui ob promptissimam, tutissi-

mamque, qua pollet, efficaciam, optimo jure divini cognomentum obtinuit. Plerumque cortex aliorum remediorum connubio non eget; tamen aliquando aliqua mixtura juvat. Febres autumnales pervicacissimae, debilitate summa, praesertim ventriculi, abdominalium viscerum obstructionibus stipatae, saepe non superantur, nisi cortici amara, aromatica, stimulantia, deobstruentia, salina immisceantur. Sic utiliter mercurialibus, aut antiscorbuticis remediis utimur, si venerea, aut scorbutica lues in corpore latitent; martialibus, si ingens sit debilitas, et menstruorum defectus; antimonialibus, si periodicae diathesi rheumatica adjungitur.

§. 28. Multa quidem in febres intermittentes auxilia celebrata fuerunt, et adhuc celebrantur, quorum alia fortuito utilia reperiebantur, alia nauseosa, absurda, inter se opposita, et venefica sunt, alia notissima, et interdum in usum vocanda, praesertim si cortex deficiat, aut pravae sit qualitatis. Inter haec prae-

cipua sunt radices acori calami, gentianae luteae, aristolochiae serpentariae; herba artemisiae absynthii; cortices aesculi hypocastani, salicis tum albae, tum latifoliae, tum fragilis, quercus roboris, crotonis cascarillae, angusturae; flores arnicae montanae, matricariae chamomillae; etc. Si absint inflammatoriae diatheseos indicia, opii, et opiatorum, maxime laudani liquidi Sydenhamii usus, in febribus intermittentibus utilis esse potest. Anno 1811. in militari nosocomio ob corticis defectum ego, et ill. medicus Michel intermittentes non perniciosas laudano liquido, non intermissis amaris, et aromaticis decoctionibus, non infeliciter curavimus. Idcirco tam persuasum mihi est de ejus in intermittentes febres efficacia, ut saepe cortici immixtum porrigam. Confirmatum igitur habeo, quod jam asseruit Berryat, qui solo laudano liquido multas intermittentes persanavit, nec ullum ex hoc proficisci malum observavit. Opium vero in intermittentibus autumnalibus, praecipue si cortici, ali-

isque antifebrilibus remediis copuletur ; magnum remedium est , ut ipsemet non raro expertus sum . Pluries enim febres intermittentes autumnales , quae cortici resistebant , opio subjeci , castoreo et extracto radicis gentianae , aut valerianae sylvestris immixto . Sic salia media cortici juncta adjuvant , si magna humorum lentescentium , crassorumque colluvies adsit . A cl. Seguin gelatina animalis commendatur , cujus virtus summorum virorum experientia confirmatur , praecipue ab egregio Alibert in elem. ther. et mat. med. tom. 1. pag. 205 , et ab ill. Josepho Franch prax. med. univ. tom. 1. pag. 164. Plures autem sunt scriptores , qui alia remedia , variasque methodos ad fugandas intermittentes exhibent . Quidam radicem ipecacuanhae ad excitandam nauseam , aut ipsum vomitum refracta dosi porrigunt . Hujusmodi ratio proficua praecipue invenitur ubi continua , et insolita ciborum aversatio molestet , ut adnotat laudatus Franch , et ut ego ipse plus semel observavi . Alii quadam ratio-

ne tartarum emeticum impertiuntur, quam praefinivit cl. Odier, qui hoc medicamento paroxysmorum intensitatem imminui, eosque subjici deprehendit. Haec ratio in exhibendis prius hujus medicamenti exiguis dosibus consistit, quae gradatim augentur, et omni bihorio porriguntur. Hujusmodi curandi ratio indiscriminatim adoptanda non est, licet deficiat cortex, sed tunc praecipue utilis esse potest, cum tenaces gastricae sordes in ventriculo nidulentur. Plures sunt, qui adhibent periculosissima pharmaca, ut arsenicum, et arseniates. Thomas Fowler, et Brera arsenici usum praecipue introduxerunt, quod praeterquam discrimine plenum est, a celebratissimis clinicis, inter quos numeratur Josephus Franchius, incassum fuit usurpatum. Arseniatibus autem praecipue utitur Odier, inquiens, arseniates potassae, et sodae tam valida esse antifebrilia, ut cortici peruviano supplere possint, cujus vim haec aequiparare arbitratur; praeterea periculo carere, dummodo necessaria cautela administrentur. Tamen cum

ipse cognoscat, horum remediorum usum maxime ancipitem, eorumque praeparationem negotium esse multae prudentiae, et consilii, concludit, ea non esse offerenda, nisi in extremis casibus, et a clinicis exercitatissimis, et ubi reliqua tutiora auxilia desint. Quod autem ad nos spectat, credimus, melius esse eorum usum relinquere, non solum quia periculosa sunt, sed quia talia non fuerunt instituta pericula, ut tamquam efficacia antipyretica celebrare possimus.

§. 29. Necesse saepe est in intermittentibus febribus, molestis gravibusque symptomatibus efficaciter occurrere. Interdum enim dolor capitis excruciat, qui si a spasmo proveniat, liquore anodyno, et laudano liquido relevandus est; interdum vomitus torquet, qui si a virium infirmitate nascitur, roborantibus et cordialibus refrenatur; interdum oris ariditas vexat, ad quam auferendam utilem spiritum Mindereri expertus sum. Hoc enim remedium cum aqua totius citri, et aliquo syrupo cochleatim exhibitum, utpote levi-

ter incitans, humorum salivalium secretionem resuscitat, et hinc molestum siccitatis symptoma penitus tollit. Juvat etiam dum occasionalis morbi caussa fuit perspiratio cohibita; aut dum alvum nimis solutam coercere velimus, siquidem, ut notissimum est, perspirationem promovet. Inter frequentiora symptomata dolor est ventriculi, qui nec a plethora, nec a gastrica sorde, sed a spasmo nascitur, ut in quibusdam constitutionibus epidemicis observatur. Hic aut laudano liquido, aut elixir vitriolico ad aliquot guttas in decoctionis florum chamaemeli pateram injecto, ut plurimum subigitur.

§. 30. Quoad victus rationem, sagaciter agendum est. In accessione enim, ac prope accessionem nil concedatur, ne provocetur vomitus, suscitetur anxietas, viresque addantur febri. In intermissione vero juscula, aut panatellae, aut ova sorbilia dumtaxat ministrentur. Eo tenuior sit victus, quo breviora sunt intervalla; copiosior, quo longiora. Si febris sit nimis rebellis, et diuturna, locum etiam habe-

caro, et vinum, ne vires deperdantur, et morbus magis pugnax evadat. Nil praeterea in diutinis intermittentibus conducibilius est, quam intermissionis tempore modica exercitatio, ut deambulatio, equitatio, vectio in rheda. Expedit etiam aëris mutatio, ac laeto et otioso animo vitam ducere. Denique animadvertendum est, quod sub maligno, et insalubri coelo meracius vinum haurire, non solum ad subigendas febres, verum etiam ad conservandam salutem maxime praestat. Qui his non utuntur, aut aetatis sunt nimis provectae, non sine negotio relaxantur morbo.

SPECIES PRIMA

Quotidiana intermittens

§. 31. Quotidiana intermittens accessionibus quotidianis, quoad invasionem, intensitatem, et durationem sibi respondentibus constat, quas aliquot horarum intervallum separat. Haec febris rarior est tertiana, et quartana: hinc veteres inter sexcentos aegros accessus febriles quotidie patientes, vix unum quotidiana intermit-

tente laborare crediderunt. Quidam sunt qui hanc febrem respuunt, inter quos est Platerus, nisi quotidianam secundariam et symptomaticam non admittens. Perperam vero negatur, quod indubiis, et repetitis observationibus confirmatur. Mihi pluries tam benignam, quam malignam quotidianam intermittentem inspicere contigit. Hujusmodi febris, ut reliquae intermittentes, in legitimam, et spuriam; in simplicem, duplicem, triplicem; in benignam, et perniciosam; in primariam, secundariam, symptomaticam; in periodicam, erraticam; in larvatam, et partialem; in sporadicam, endemicam, et epidemicam dividitur. Prima distinctio a tempore, quo febris adoritur, pendere videtur. Veteres legitimam horis pomeridianis, vespertinis, nocturnis; recentiores majori jure horis matutinis invadere asserunt. Etenim quae flexo ad vesperam die, aut noctu corripit, magis diuturna est; saepe immutans typum, et ab indole intermittentium aliquantisper desciscens. Cum autem quotidiana intermittens, aut semel,

aut bis, aut ter aliquando recurrat in dies, hinc in simplicem, duplicem, et triplicem orta est divisio. Monendum est, quod dum febres intermittentes dominantur, quotidianae erraticae, et irregulares infrequentes non sunt.

§. 32. Caussae febris quotidianae a reliquis caussis intermittentium non differunt. Tamen inter ejus frequentiores remotas caussas recensendi sunt vitiosi humores, et saburrae in primis regionibus stabulantes. Quoniam hujusmodi pravae materies in sanguinem facile pervadunt, ejusque indolem vitiant, febrilis arteriarum motus, irritatio ventriculi, et duodeni inducitur, ut symptomata declarant, nimirum nausea, ructus, vomitus, anorexia, affectio cardialgica, praecordiorum tensio, os amarum, aliaque similia. Adnotandum etiam est, quotidianam intermittentem primariam saepe spontaneis, vel artificialibus dejectionibus, et ejectionibus resolvi. Crediderunt veteres hanc febrem a putrescente pituita oriri, quam aut simplicem, aut aliis humoribus im-

mixtam, aut variam esse dixerunt, scilicet vel salsam, vel acidam, vel dulcem, vel insipidam; hinc ab hac pituita varia cum Galeno deduxerunt symptomata.

§. 33. Quotidiana intermittens diutina est, et pervicax, praesertim si primae regiones labefactentur, et intestinales glandulae non subtilem, sed copiosum et impurum laticem exprimant. Ubi hepar, lien, pancreas infirmantur, propriisque functionibus non rite funguntur, crudae et sordidae materies in primis viis colliguntur. Quidquid igitur his visceribus robur adimit, atque efficit, ut pituita, bilis, aut alia saburra coacervetur, quotidianae febris productioni favet. Quamobrem inter caussas remotas temperamentum pituitosum, phlegmaticum, ignavia, gula, autumnus, hyems, aëris humiditas, aetas puerilis, vel senilis, graves animi affectus, purgantium abusus, aegritudines praegressae adnumerari debent. Non raro hujusmodi febris ab aliis intermittentibus ortum habet.

§. 34. Febris quotidiana intermittens primaria horis matutinis aliquo frigore, et horrore corripit. Deinde nausea, vomendi desiderium, vomitus, alvi fluxus, aut uterque, praesto sunt. Interdum dolor capitis urget; interdum lipothymia supervenit, quae ab affectione cardialgica plerumque nascitur. Frigus excipit mediocris calor, et pauca sitis; urina inter initia alba, pallens, tenuis, cruda, mox colorata, crassior, et sedimentosa fit; pulsus est debilis, tardus, mollis; aegri albi, et pallentes sunt, licet accessio ad statum pervenerit; facies subtumida; propensio ad somnum; praecordia inflantur, et distenduntur; adsunt etiam dejectiones crudae et pituitosae, si crudi, et frigidi humores abundant. Post decem, aut duodecim horarum spatium manat sudor; hinc paroxysmus deficiens quamdam corporis gravitatem relinquit. Raro hujus febris accessus duodeviginti horas praetergrediuntur.

§. 35. Quotidiana intermittens secundaria, et symptomatica, a signis, et caussis morborum cognoscuntur, a quibus

proficiscitur. Hujusmodi primarii morbi vel totum corpus afficiunt, ut hypochondriaca, et hysterica passio, scorbutica, et venerea lues, vel solum ejus partes, ut pulmonum vitia, aliorumque viscerum, quae saepe obscura sunt, et abscondita. Ab istis morbis quotidiana secundaria, et symptomatica non solum originem, sed etiam nomen obtinent. Idcirco hypochondriaca, hysterica, scorbutica, venerea, arthritica, pulmonica appellatur. Inter foeminas hystericas, maxime moniales, quotidiana hysterica rara non est. Haec febris levi perfrigeratione, oscedine, pandiculatione, et aliquo dolore capitis circa vesperam corripit. Sequitur calor mitis, variaque prodeunt symptomata hysterici affectus propria, ut palpitatio cordis, tussicula sicca, globi, qui dicuntur hysterici, partem superiorem pectoris occupantes, pulsus strictus, inaequalis, urina copiosa, et tenuis. Post aliquot horas sine sudore aut pauco paroxysmus evanescit. In quibus lues venerea serpit, crebro quotidiana intermittens secundaria

nascitur, quae a praegressis, et praesentibus ipsius luis symptomatibus deprehenditur, quae sunt gonorrhoea, ulcera, bubones, articulorum dolores noctu praecipue excruciantes, gummata, exostoses, aliaque hujus generis. Eodem modo dum huic febri scorbutica affectio ansam praebet, non desunt peticulae, ecchymoses, halitus foetens, gingivarum alterationes, quae nimirum sunt admodum rubrae, flaccescentes, nigricantes, dentes vacillant, et decidunt, dolores vagi, summa debilitas, et alia, quae morbi primarii naturam patefaciunt. Si autem quotidiana intermittens ab aliquo vitio viscerum oriatur, ab indiciis hujusmodi vitium indicantibus facile detegitur. Ex gr. quotidiana pulmoniaca cognoscitur, si etiam adsint affectionis pulmonum signa, homines sint graciles, collum longum, pectus angustum, et depressum habeant, semper tussiant, aegre respirent; magis provocetur tussis, magisque respiratio laedatur, dum in alterutro latere aegrotantes recubent; sputa sint glutinosa, san-

guinea, salsa, aut dulcia; corpus conficiatur. Cum haec exempla sufficiant, ad prognosim veniendum est.

§. 36. Quotidiana intermittens legitima, si a viscerum debilitate nascatur; diuturna est; sed diuturniores sunt secundariae et symptomaticae, quippe quae ab aliqua morbosa affectione vel generali, vel partiali productae. Si accessiones sint breves, et longa apyrexia, minus discriminis imminet; si ex adverso accessiones nimis extendantur, et perfecta non obtineatur integritas, vires deficiant, ac sudor non erumpat, magnum periculum instat. Admodum etiam periculosa est, et pertinax, quae ab aliis intermittentibus, maxime quartana, nascitur, quoniam ad continuam febrem appropinquatur, et aliquo vitio viscera affici ostendit. Ait Celsus lib. 3. cap. 15 - Quartana neminem jugulat, sed si ex ea facta quotidiana est, in malis aeger est. - Ut vero quotidianae intermittentis discrimen praenoscamus, diligenter excretiones explorandae sunt. Si enim in accessionum

declinatione blandus manet sudor, urina sit copiosa cum sedimento, exitus promptus, et felix sperandus est. Sic ab initio sudor, vomitus, alvi fluxus, bonum exitum, ac sollicitam febris solutionem promittunt. Si contra nulla sit excretio, febris in eodem statu permaneat, vires, et appetitus dejiciantur, accessiones semper longiores fiant, periculum est, ne febris lenta, hectica, tabes, et mors succedat.

§. 37. Ut quotidiana intermittens in alios periculosos, diuturnosque morbos non degeneret, prompte, et apposite medicamentis utamur. Si enim sanguinis missio inconsulto instituatur, prosternuntur vires, quod etiam evenit drasticorum purgantium, et validorum emeticorum usu, quae praesertim ventriculi robur frangunt. Etiam astringentia, opiata, sudorifera, nisi prudentia exhibeantur, damnosa sunt. Natura ipsa indicat, quae sint adhibenda auxilia. Experientia edocemur, aliquando febrem aut vomitu, aut alvi fluxu resolvi. Ergo si hujusmo-

di conamen observetur aut levibus purgantibus, aut emeticis, obsecundandum est. Si autem nimis febris extendatur, emetica mitia iterare interdum juvat. Hisce praemissis, peruvianus cortex curationem absolvit. Venae sectio raro convenit; tamen si adsit plethora, si fluxus haemorrhoidalis, aut menstruus non suppetit, si multa hauriantur pocula, vena aperiri potest, sed inter initia, ne ingravescat morbus, et malum exitum habeat. Quotidiana a lymphae vitiis orta, sudorifera exposcit. Aliquando post purgationem institutam ventriculus, et viscera roboranda sunt, ne rursus cruditates congerantur. Convenit igitur tinctura chalybis Boer. aut vinum chalybeatum compositum, elixiria amara cum martialibus, aut stomachica. Denique si quotidiana intermittens secundaria, et symptomatica curanda sit, statim primarius morbus, a quo utraque dependet, spectandus est. Hae corticem plerumque respuunt; quin hoc maxime exasperantur, sed remediis, quae ad primarium

morbum curandum praestant, tantummodo expugnantur. Quo autem citius ad sanitatem perveniatur, removeantur in primis graves animi affectus, et alimenta levia sint, et salubria.

SPECIES SECUNDA

Tertiana intermittens

§. 38. Tertiana intermittens, si simplex, similibus constat paroxysmis, altornis diebus recurrentibus, interposita perfectae integritatis die; si duplex, quotidianos paroxysmos habet, qui tertia quaque die quoad invasionis horam, intensitatem, et durationem sibi mutuo respondent, quosque quotidie integritas sequitur; si duplicata, bis in die paroxysmi redeunt, unius diei integritate interposita; si triplex, paroxysmi una die bis, altera semel remeant. Tertiana intermittens in legitimam, et spuriam, seu notham dividitur. Est legitima, si ejus ascessiones ad sex, octo, decem, duodecim horas extenduntur; si vero hoc

temporis spatium superant, spuria dicitur. Hujusmodi divisio utilitate non caret, maxime in statuendo praesagio, ut infra videbimus. Nulla est febris tam frequens, regularis, suamque naturam clare detegens, quam tertiana intermittens, praesertim si simplex sit.

§. 39. Tertiana legitima, et simplex plerumque juvenes sanguineo temperamento praeditos, biliosos, sanos, laboribus, et corporis exercitationibus assuetos, matutinis potius, quam vespertinis horis adoritur. Incipit dolore capitis, lumborum, et artuum; hypochondriorum tensione. Deinde cum pandiculationibus, et oscedinibus invadit frigus in partibus extremis, quod autem sensim crescit, ac interdum tam fit immite, ut omnia contremiscant membra, ac allidantur, vehementerque concutiantur dentes. Aliquando vero frigus est tam leve, ut potius pedum, aurium, et nasi apicis simplex perfrigeratio dici possit. Tempore frigoris ob quemdam constrictionis sensum spiritus angustias patiuntur ae-

gri ; pulsus est contractus , parvus , debilis ; sitis urget . Dum hoc stadium vergit ad finem , saepenumero nausea , vomituritio , vomitus biliosi , et pituitosi comparent . Hujusce foenomeni probabilem rationem Burserius exhibet , §. CLI. inquiens - bile fortasse copiosius in duodenum per febrilem spasmum expressa - Frigus sequitur calor , qui sensim augetur ; per corpus diffunditur , mordax fit , et acer. Hoc in stadio frequens est respiratio , pulsus magnus , plenus , citatior ; adest sitis , et frigidas hauriendi potiones desiderium ; vexat capitis dolor , vigilia , interdum delirium ; urina subrufa est , et rubra . Haec autem symptomata paullatim decrescunt , cutis relaxatur , et madescit , circulatio pacatior fit , mitigatur calor , urinae sunt flammeae , pulsus mollescit , erumpit sudor , et ita clauditur paroxysmus . Remanet in apyrexia quaedam debilitas , corpus facile horrescit , pulsus est debilis , et tardus , urina crassa , sedimentosa , aut nebulam

continens. Nox accessionem praecedens insomnis est, et inquieta.

§. 40. Tertiana intermittens spuria a majore accessionum extensione, et a symptomatum levitate distinguitur. Tamen aliquando symptomata intensiora sunt, ut est calor major, oris siccitas, vehementior capitis, et ventriculi dolor. Ut plurimum frigus breve est et leve, quod mitis excipit calor; sudor autem non exilit, aut parum, et sine levamine. Vomitus tam frequens non est, nec urina tam flammea; pulsus est concitatus, non magnus. Integritatis tempore ingens remanet virium debilitas, et inappetentia. Saepius haec febris autumno homines laxioris habitus, ignavos, et foeminas corripit. Nullo negotio accessionum ordinem mutat, et ab intermittentium familia desciscens in continuam remittentem febrem, seu tritaeophyam vertitur. Ubi hanc proclivitatem habet, a longioribus paroxysmis, sudoris defectu, imperfecta apyrexia, calore mordaci cognoscitur.

§. 41. Caussae tertianae intermittentis eaedem ac illae reliquarum intermittentium sunt. Opinabantur veteres, tertianam legitimam a redundanti excrementitia bile; notham a bile pituitae immixta nasci. Hujusmodi vero excrementitia bilis, aut bilis immixtio cum pituita, non caussa, sed febris ipsius effectus esse possunt. Experientia docet, omnia, quae peculiari modo nerveum systema aut irritant, aut infirmant, ut sunt paludum miasmata, animi pathemata, gastrica colluvies, alimenta prava, fortiora purgantia, saepe tertianam intermittentem progignere. Idcirco homines biliosi, sensibiles, violentis animi affectibus obnoxii, aetate florentes ad tertianam intermittentem legitimam magis proclives sunt. Qui vero laxa temperie, et spongioso corporis habitu pollent, vel otio diffluunt, vel frequentes emissiones sanguinis, aut validiora purgantia perpessi sunt, magis ad tertianam spuriam disponuntur, in qua non tam vehemens nervorum irritatio deprehenditur.

§. 42. Saepe tertiana legitima post aliquot circuitus sponte sua, vel paucis auxiliis evanescit. Inquit Hippocr. aph. 59. sec. 4. -- Tertiana exquisita in septem ad summum circuitibus judicatur. -- Quando post tertium vel quartum circuitum resolvitur, circa labia, et nares, ulcuscula, pustulae, scissurae nonnunquam prodeunt. Hujusmodi eruptio est secundum Riverium quaedam crisis, quae ad has partes fit; aut secundum Burserium imminentis criseos indicium. Interdum dum urinae urunt, febris, ejusque symptomata quiescunt. Urinae autem copiosiores, et quae naturales qualitates habent, sollicitae solutionis indicium praebent. Ventris fluxus cum abundanti sudore saepe morbum judicat. Tertianae mites vere, et aestate contingunt, praecipue si in diaetetico regimine nullus irrepserit error, atque viscera integra sint. Prompte ab hisce febribus juvenes, et robusti homines recolliguntur. Autumno vero, et hyeme res non ita procedit, maxime si viscera aliqua labe afficiantur, aut aegri

in aliquem errorem illabantur. Tertianae enim simplices in duplices facile commutantur, aut in continuam febrem transeunt; et ob levissimas caussas recidivae fiunt. Tertianae spuriae in remittentem febrem frequentius abeunt, praesertim si duplices sint. Hae febres autumno plerumque grassantur, et crebro diuturnae, et pervicaces sunt. Ex hisce autem multae morbosae affectiones, maxime obstructiones, icterus, hydropes, febres lentae, consequuntur.

§. 43. Tertiana exquisita nonnunquam quiete, potubus aqueis, acidulis, et humectanti victu curatur. Frigoris tempore nihil agendum est; si aeger sitiat, a potu se abstineat, praesertim frigido. Tempore autem caloris non affatim, sed sufficienter, et ex intervallo aquam frigidam hauriat. Calidae enim potiones anxietatem, ac aestum augerent; frigidae vero, acidulae, ut citreae, quibus adjectum sit nitrum, admodum utiles sunt, praecipue si calor ingens sit. Aliquando sola quies, aquea potio, victus tenuis non sufficiunt,

sed ad superandam febrem aut sanguinem mittere, aut purgationem porrigere, aut utrumque facere necesse est, prout febris vel a sanguinis abundantia, vel a gastricis saburris, vel ab utrisque oritur. Si haec vero satis non sint, ad corticem peruvianum confugiendum est. Ut sine damno secetur vena, aut exhibeatur purgatio, maxima prudentia exposcitur. Etenim aeque peccant qui sanguinem indiscriminatim mittunt, et purgationes adhibent, ac qui semper hujusmodi auxilia negligunt. Si aestivo tempore tertiana corripiat juvenem, alioquin sanum, et sanguinea temperie donatum; si calor sit ingens, vehemens capitis dolor urgeat, pulsus plenus, nil certe magis, quam sanguinis imminutio, prudenter facta, conducit. Dum autem primae regiones humoribus biliosis, et pituitosis onerantur, porrigendae sunt purgationes, sed leves. Acria enim purgantia irritant, nocent, et febrem facile reproducunt. Interdum emetica magis juvant, nimirum cum humores biliosi, et pituitosi, aut pravae ma-

teries in stomacho, et duodeno immorentur, quod ex praegressa ingluvie, praecordiorum auxietate, nausea, vomendi cupiditate, ructibus, oris amaritie cognoscitur. Aliquando bilis, aliaeque materies et per os, et per alvum exturbandae sunt. Tum emetica immiscentur catharticis, ut sali anglicano tartarum emeticum conjungi solet. Plerumque vero melius est aliquot radicis ipecacuanhae grana praemittere, deinde purgans praebere; siquidem emetica et cathartica simul juncta saepe aut impetu evomuntur, aut omnia dejiciuntur. Pueris octo, aut duodecim annorum, maxime biliosis, potiuncula emetica confert, quod observavit Hoffmannus. Hisce praemissis, cortex peruvianus exhibendus est. Itaque apyrexiae tempore omni bihorio sexta administretur unciae pars, donec duo, tres, aut quatuor unciae glutiantur, quae ad tertianam benignam exquisitam superandam sufficiunt. Postea ad praeservationem per octo, aut decem dies corticis drachma quotidie sorbeatur. Quoad alimen-

tum, nil in accessione concedendum est, sed solum in apyrexia tenue porrigatur, ut aph. 11. sect. 1. ita docet Hippocr. -- In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare nocuum est, et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. --

§. 44. Quoniam tertiana spuria a saburris, cruditatibus, humoribus biliosis, pituitosis, viscidis, primarum viarum nascitur, sollicita purgatio prodest. Si vero vasorum plenitudo observetur, aetas florens, temperies firma sit, praemittatur venae sectio. Aliquando etiam emeticum convenit, praesertim tempore aestivo, si hujus usui nihil obstet. Hinc detur peruvianus cortex. Si ante ipsam febrem viscera obstructione laborent, aut longo febris decursu obstruantur, a corticis usu desistere non debemus, ne febris querquera fiat. Attamen amara, aperientia, deobstruentia cortici adjungi possunt. Postea vero submota febre, obstructionum curatio institui debet. In simplici tertiana spuria, praesertim si in longum abe-

at, victus plenior expedit; tenuis, si duplex sit, scilicet in jusculis, sorbilibusque consistat.

§. 45. Tertianae autumnales nullo negotio ordinem regularem amittunt: in quotidianas intermittentes saepe transeunt; pervicaces, et recidivae fiunt. Idcirco ad has fugandas plura specifica, et empirica ab auctoribus etsi gravissimis celebrantur. Si infructuosus sit peruvianus cortex, a re minime deflectimus, si alia antifebrilia, et quae irregulares accessiones in ordinem reducunt, usurpemus. Itaque si tertiana sit spuria, subcontinua, irregularis, potio antifebrilis Crollii, a Riverio, aliisque celebratissimis clinicis in usum vocata, prodest. Hujusmodi potio ex aqua destillata, aut ex aqua fontis, sale Absynthii, et spiritu vitrioli componitur. Saepe etiam aegrotantium lucro mixtura adhibetur, quam in amphimerina biliosa Sauvagesius refert. Haec fit, si salis absynthii drachma cum dimidia in decem unciis aquae solvatur, dein ad saturationem spiritus vitrioli instilletur,

et aquae cinnamomi, syrupi è cortice aurantiorum āā drachmae duodecim addantur. Hujus mixturae quarta, vel sexta quaque hora cochlearia quatuor sumantur. Ad ejus utilitatem confirmandam plura referre possem exempla, sed unum renunciare sufficiat. Juvenis viginti octo annorum, alioquin sanus, autumno anni 1817. in febrem tertianam duplicem incidit, ad transeundum in remittentem proclivem. Corticem peruvianum, et haustum salinum ad promovendum sudorem exhibui; sed cum sudor satis non erumperet, servato corticis usu, ad descriptam Sauvagesii mixturam confugi, quae copiosum excitavit sudorem. Hinc longioribus intermissionibus redditis, statim è morbo aegrotus convaluit. Si autem homines pituitosos hujusmodi febres aggrediantur, salium neutrorum cum cortice miscela admodum juvat. Etiam amara, aromatica, opium, et opiata opem ferunt. Diligenter denique removendae sunt caussae, quae tertianam intermittentem reproducere valent. Idcirco insensibilis per-

spiratio custodiatur; quaecumque aëris intemperies, humiditas, frigus horis praesertim vespertinis; errores in diaetetico regimine; animi deprimentes affectus fugiantur. Remedia autem, quae a morbo defendunt, nimis cito linquenda non sunt.

SPECIES TERTIA

Quartana intermitens.

§. 46. Quartana intermittens simplex nuncupatur, si ejus accessus similes quarta quaque die remeent, duarum dierum integritate interposita. Est vero duplex, si accessus prima et secunda die redeunt, et ita sequentibus accessibus conveniunt, ut ille primae diei accessui quartae, ille secundae accessui quintae diei similis sit, libera manente tertia die. Est triplex, si accessiones quotidie ita regrediuntur, ut accessio prima quartae, secunda quintae, tertia sextae respondeat. Est duplicata, si quarta quavis die bis accedat, et recedat accessio; triplicata si ter; manentibus in u-

traque duabus diebus a febre vacuis. Ex hisce differentiis simplex, et duplex frequentius occurrunt. Distinguitur etiam quartana in legitimam, et spuriam. Prima regularem accessionum cursum observat, quae ut plurimum post meridiem adoriuntur; altera irregularis est, gravioribus symptomatibus stipata, et tam ejus paroxysmi interdum extenduntur, ut perfectam intermissionem non linquant. Denique vel benigna, vel maligna est, seu perniciosa, ut infra videbimus.

§. 47. Quartana potius autumno, et hyeme, quam aliis anni tempestatibus insilit. Accessiones cum oscedinibus, et pandiculationibus, gravitate corporis, dolore capitis, dorsi, lumborum, et extremitatum inferiorum saepius explicantur. Corporis ambitus pallescit, facies, et ungues livescunt; deinde immane frigus invadit, ad duas, tres, et quatuor horas extensum. Ab hoc frangi videntur ossa, unde nascitur ille dolor graece ὀστεοκόπος dictus. Difficilis est respiratio, praecordia astricta, pulsus contractus, inaequalis.

Aegri multa patiuntur, maxime senes, qui delirant, evomunt, desidunt, et frequens mingendi desiderium habent. Sensim sequitur calor, intensitati frigoris non respondens, ad quatuor, quinque, et sex horas productus. Sub hoc major fit pulsus, celerior, aequalis; manet capitis dolor. Denique accessio declinat, et resolvitur, dum cutis parum, aut nihil madet. Inter accessionum initia urinae sunt tenues et aqueae, dein coloratae et crassae fiunt. In duarum dierum apyrexia permanet dolor in articulis, quaedam corporis gravitas, inquietudo, urinae sedimentum subsidunt. In quartana spuria, quae febribus tam continuis, quam intermittentibus succedit, graviora sunt symptomata, ut sitis ingens, pervigilium, calor magis frigore divexans.

§. 48. Quartanae caussae eaedem sunt, ac reliquae intermittentium, sed lentius quam in tertiana agunt; hinc tardior est paroxysmorum recursus, minorque symptomatum vehementia. Caussae occasionales plurimae esse possunt, ut humo-

res gastrici, pancreatici, lymphatici, salivales a naturali indole deflectentes, qui minus alimenta dissolvunt, extrahuntque chylum; cibi duri, et insalubres; deprimentes animi affectus; palustris aër; sanguinearum periodicarum evacuationum suppressio; nimis tarda circulatio sanguinis per abdominalia viscera; etc. Ad hanc febrem magis dispositi sunt homines provectae aetatis, et melancholici temperamenti; qui pravis alimentis vescuntur; vitam sedilem ducunt; loca palustria incolunt; parum perspirationem autumno tuentur, aut in alios incidunt errores. Hanc proclivitatem infantes, et pueri non habent, ideoque eos quartana urget rarissime.

§. 49. Quartana est pertinacissima febris, maxime autumnalis, et hyemalis, quae dum valentiora eludit remedia, usque ad ver saepe protrahitur, cum aëris temperies, et serenitas humores attenuat, cutis spiracula reserat, corpus animumque relevat. Aliquando vero ad plures annos extenditur, ut auctorum observationes

testantur. Vernalis, et aestiva brevior est, ut aph. 25. sect. 2. adnotat Hippocrates - Aestivae quartanae magna ex parte breves; autumnales longae, et maxime quae hyemem attingunt. - Major, vel minor hujusce febris diuturnitas a statu viscerum, humorum, nervorum, a diversa temperie, aetate, diaetetico regimine, et curatione nascitur. Etenim si viscera aliqua labe laborent, humores sint pravi, nervi debiles, et valde sensibiles, temperamentum melancholicum, gravis aetas, alimenta crassa, et dura, vita sedilis, curatio inepta, quartanae diuturniores fiunt, et non sine discrimine incedunt. Praeterea impropriae curationis caussa in alios morbos commutantur, nimirum in acutos, si nimis calidis, et incitantibus remediis; in chronicos, si nimis debilitantibus curantur. Swietenius quartanam verno tempore calidissimis medicamentis curatam, in pleuritidem saevam transactam vidit. Propter vero frequentes, et immodicas sanguinis missiones, ac vehementia, et pluries repetita purgantia, in hy-

dropem, viscerum obstructiones, et febrem lentam abire quartanam, frequentissime observatur. Haec contra, si viscera, nervi, humores sani sint, temperies sanguinea, juvenilis aetas, et nullus in diaeta et in curatione perpatretur error, expeditius subigitur. In juvenibus robustis, et sanguine redundantibus major saepe est paroxysmorum extensio, calor fervidior, sitis, et capitis dolor ingens, copioso sudore accessiones resolvuntur. In hominibus debilibus, aliisque morbis affectis, oedemata, febres lentae, icterus, spasmi a quartana deducuntur. Si ab hac forte infantes, et pueri corripiantur, quia medicis non obediunt, perspirationem non satis custodiunt, et in eorum ventriculo cruditates, aciditates, sordes, ac vermes congeruntur, aegre sanantur. Quartana hyemali tempore modo desinit, modo redit, modo ex simplici duplex, et in longo decursu anomala fit. Subinde respuit remedia, sed salutaribus, et spontaneis evacuationibus resolvitur, ut haemorrhoidali fluxu, aut eruptione cutanea pustu-

larum, macularum, ulcerum, scabiei per totum corpus prodeunte, quae si repellatur, prompte febris remeat. Inter vero spontaneas evacuationes, quaedam damnabiles sunt, ut hemorrhagia nasalis, non quia, ut opinabatur vetustas, humor, quartanam efficiens, crassus, et frigidus, per nares evacuari non potest, sed quia hujusmodi haemorrhagia symptomatica est, corpusque enervans. Si haec nimis copiosa sit, et persistens, pessimas sequelas infert, inter quas hydrops frequentior est. Mortalis autem est copiosi, et concreti sanguinis fluxus ab ano, quod experientia clinicorum confirmatur. Pluries in gravidis quartanam partu desinere observavimus: an vero in infantem ea transmittatur, ut ab Hoffmanno, aliisque creditur, nescii sumus.

§. 50. In 3. epidem. omnium febrium tutissimam quartanam esse, Hippocrates asserit; et ab antiquissimis usque temporibus ejus salutares effectus celebrantur. Tamen etsi quartana legitima anceps ut plurimum non sit, interdum pe-

riculum affert, ut in senibus evenit, qui saepe propter spasmorum, frigorisque intensitatem moriuntur, aut comatosi fiunt. Quoad bonos ejus effectus, scilicet humorum attenuationem, viscerum obstructorum, glandularum, et vasculorum infarctorum resolutionem, caeteris febribus communes sunt. Hippocrates aliique veteres asserunt, superveniente quartana, convulsiones, aliosque morbos sanari; praesente vero, aliorum morborum accessum impediri; quod minime experientia confirmatur. Burserius enim non solum epilepticas accessiones quartanae conjungi observavit, sed ab ea spasmodicas affectiones oriri. Attamen indubium videtur, quin aliquando post quartanas legitimas, et benignas in perfectam sanitatem homines restituantur, non amplius morbis obnoxii sint, majus adipiscantur robur, et ad longaevitatem disponantur. Hoc forsan evenit, quia morbi caussae delentur, corpus a pravis succis repurgatur, et obstructiones discutiuntur. Hinc verum esse potest, quod Sydenhamius sect. 1. cap.

5. ita scriptum reliquit. – Hic notandum quod cujuscumque demum aetatis, aut temperamenti fuerit is, qui quartana corripitur, si quolibet alio vitae tempore, vel etiam ab hoc remotissimo eadem semel laboraverit, non diu admodum hac vice fatigabit morbus, sed post paucos aliquot paroxysmos sponte sua solvetur, quod scitu dignum erat. –

§. 51. Peruviano cortice, ut reliquae intermittentes, quartana curatur, quae ante hujusce remedii inventum singulis fere antifebrilibus tam pertinaciter reluctabat, ut medicorum dedecus, et opprobrium fuerit vocata, sicut omnibus notum est. Quamvis autem tenax sit morbus, maxime in senibus, debilibus, melancholicis, cacochymicis, tamen interdum blandissimis, et simplicissimis auxiliis obtemperat, ut est vernalis et quae juvenes inculpato corporis habitu praeditos corripit. Ast ubi talis non est, priusquam corticem peruvianum porrigamus, an sanguinis missio, purgans, aut emeticum conveniat, videre est. Venae

sectio non est quartanae remedium, sed in aliquo tantum casu opportuna videtur. Nonnulli enim diuturnas quartanas, et ad omnia remedia rebelles, hac tandem persanasse affirmant. Et requidem vera in temperamentis sanguineis, in menstruorum, aut haemorrhoidalis fluxus defectu, venae sectio vel in brachio, vel in pede instituta utilis esse potest, ut et haemorrhoidalibus venis hirudinum applicatio, si homines spasmis, et hypochondriacis affectionibus laborent, cum per abominalia viscera libere sanguis non fluat. Imminutio vero sanguinis damnosa est, si vires deficiant, ingravescat aetas, et nil adsit, quod eam exposcat. Errant igitur qui sanguinem detrahunt, ubi necessariae conditiones non adsint, aut natura ipsa ad restituendum menstruorum fluxum, aut haemorrhoidalem propendeat. Ab ejusmodi errore spasmi febriles augentur, morbus fit contumacior, periculosi effectus, et mors ipsa sequuntur. Quamobrem qui ad mentem Botalli iterata sanguinis missione quartanam curare student, summopere decipiuntur.

Cum vero in ventriculo pravae materies, et viscidi humores recondantur, ut ab oris amaritie, lingua alba aut lutea, appetitus defectu, nausea, vomitu aut vomendi desiderio deprehenditur, maxime emeticum juvat, dummodo integra sint viscera, vires validae, et nervorum systema valde sensile non sit. Si autem saburrae intestina praegravent, ut ex abdominis tensione, doloribus, flatibus, borborygmis, alvo adstricta, aut frequentibus dejectionibus liquet, magis purgatio convenit. Mitia vero esse debent purgantia, ut magnesia alba, quae acidos succos absorbens, sal amarum evadit, leniterque purgat. Cum necessitas purgandi non urgeat, simplicibus, et emollientibus clysteribus alvum aperire sat est. Fere semper noxia sunt repetita purgantia, etsi lenia, utpote nimium vires enervantia. Potius expedit exiguam magnesiae albae quantitatem identidem porrigere, ut acidi succi absorbeantur, quibus primae regiones in hominibus quartana detentis scatent. Praemissa autem sanguinis missione, aut emesi, aut pur-

gatione, cortex peruvianus melioris notae exhibendus est; cujus vero salutaribus viribus quartana autumnalis, et hyemalis non raro resistit. Aliquando enim caussis quartanae communibus humorum, et viscerum vitia junguntur, quae morbi diuturnitati, et reproductioni admodum favent. Hinc cortici peruviano alia addendi remedia necessitas oritur. Ut vero hujusmodi additio apta sit, multa requiritur prudentia, aliter vexantur potius, quam relevantur aegri. Quapropter animadvertendum in primis est, quae caussa indomitam quartanam reddat: hac autem detecta, modo amara et aromatica, modo antiscorbutica, modo antivenerea, modo chalybeata, modo opium, et opiata locum habent. Itaque ubi adsit virium debilitas, pravus corporis habitus, menstruorum suppressio, ex chalybe parata, et roborantia cum cortice peruviano immixta juvant; ubi virus venereum latet, mercurius dulcis omittendus non est, qui etsi illud non subsit, praestantissimum remedium in quartanam a nonnullis ha-

betur; ubi extat scorbutica diathesis, decotiones, et succi plantarum antiscorbuticarum adjuvant; ubi corrigenda est nimia nervorum sensilitas, opium, et opiata auxiliantur; ubi obstructa sint viscera, deobstruentia conveniunt, inter quae extractum cicutae, et salia alchalina fixa celebrantur. Apud auctores innumerae remediorum antifebrilium adinveniuntur mixtiones, quarum aliae utiles sunt, aliae vero aut nimis compositae, aut inutiles, aut absurdae judicari debent. Hinc recto opus est judicio, ut ad profligandam quartanam apposite eligantur.

§. 52. Danda sunt alimenta jam pridem eupepta, et euchyma nuncupata, scilicet tenera, mollia, puram materiem nutritiam ad bonum conficiendum chylum tribuentia, ut sunt juvenum animalium carnes, ova recentia, sorbilia, pisces saxatiles, etc. Ubi enim infirmae sunt aegrorum vires, edulia crassa, et tenacia ab humoribus digestioni famulantibus non facile resolvuntur, et concoquuntur. Fugienda etiam sunt legumina, olera, aci-

da, fructus horaei, quos Sydenhamius interdixit, ut ex epist. 1. respons. ad Robertum Bradyum de morbis epidemicis ab anno 1675. ad 1680. colligitur. Copia autem alimentorum in ratione sit virium, quae conservari, et non opprimi debent. Saepe post quartanam fames convalescentes torquet; ast cavendum est, ne nimia concedantur alimenta. Faciles enim ab indigestione reproducitur febris. Hinc melius est repetitis vicibus pauca alimenta porrigere. Potiones etiam tam copiosae non sint; si quidem nimia fluida enervant, et morbum contumaciorem faciunt. Modicus vini usus ad reficiendas vires idoneus est. In paroxysmis vero nihil aeger comedat, parumque hauriat. Intermissionis diebus antequam sumantur alimenta modicae conferunt exercitationes, ut deambulationes, et equitationes. Si autem hujusmodi exercitia fieri non possint, usurpentur frictiones, a veteribus praecipue usitatissimae. Quoniam corporis exercitia tam salutaria sunt, etiam accessionis diebus praecipiuntur a clinicis. Ait

Celsus lib. 3. cap. 15. – quo die quis febrem expectabit, ante surgere, et exerceri, dareque operam oportet, ut in ipsam exercitationem tempus febris incurrat; sic enim saepe illa discutitur. – Ne autem revertatur quartana, multa quidem vitanda sunt, ut aër frigidus, humidus, paludosus; labores immodici; animi deprimentes affectus, et inprimis tristitia; quae digestionem, perspirationem insensibilem, aliasve functiones perturbant. Ex adverso juvant animi quies, solatia, placidus somnus, qui tamen accessionis ingressu fugiendus est, et super omnia coeli mutatio. Interdum enim ex transitu in loca tepidiora, et maritima, a tenacissima quartana aegri penitus convalescunt.

GENUS SECUNDUM

Febres intermittentes nervosae, seu perniciosae.

§. 53. Febres intermittentes nervosae, seu perniciosae sunt, quae lethalibus symptomatibus homines in regionibus paludosis, et incultis agris degentes appetunt. Tamen urbium incolas etiam corripiunt, ac non solum ab actione palustrium miasmatum, sed etiam a partium sensibilium irritatione, quae vel ab animi pathematibus, vel vulneribus, vel corporibus extraneis, vel gastricis sordibus inducitur, ut a recentiorum observationibus satis superque comprobatur. Cum hujusmodi igitur febribus confundendae non sunt subintrantes, et obscura periodo incedentes, nisi gravibus, mortiferisque symptomatibus stipentur, sicut in exercenda praxi faciunt, qui in omnibus fere intermittentibus perniciem effingunt, vel reconditam timent.

§. 54. Indubium est, quin veteres medici intermittentes malignas indicaverint; earum vero natura ipsis abscondebatur. Ludovicus Mercatus, Filippi Secundi, et Tertii Hispaniarum regum medicus, fuit primus, qui propriis observationibus hujusmodi febres perniciosis symptomatibus consociatas descripsit, ac juxta sui temporis doctrinam speciatim curavit. Deinde Richardus Morton Londinensis clinicus expertissimus easdem febres exaravit, et summo aegrotantium lucro cortice peruviano subegit. Eodem tempore Tortius in Italia, quin hanc curandi cognovisset methodum, et antequam auctor anglus suum palam fecisset opus, parum dissimili modo perniciosas feliciter expugnabat. Inter eos, qui ante Mercatum febres intermittentes malignas revelarunt, quin ad remotissimam conscendamus antiquitatem, recensendus in primis est Lazarus Riverius, qui in prognosi tertianae intermittentis ita locutus est. -- Dantur enim tertianae malignae, quae quamvis evidentes habeant intermissiones aegrotantes ta-

men de medio tollunt. Praeterea multa febri tertianae possunt supervenire, quae vitae periculum inferre possunt, quamvis febris ex se periculosa non sit. -- Agens autem de febribus pestilentialibus luculentioribus verbis hoc scriptum reliquit -- Quamvis dixerit Hippocrates febres intermittentes periculo carere, quomodocumque intermiserint, id tantum intelligendum est de iis, quae nullius sunt malignitatis participes. Videmus enim singulis fere annis in hac saltem regione febres tertianas intermittentes, quae summae malignitatis sunt participes, tertia, vel quarta accessione aegros de medio tollere: alias, quae eos in gravissimum vitae discrimen conjiciunt, maxima symptomatum saevitia. -- Eadem fere ratione Mercurialis, Donatus, Restaurandus, Sydenhamius, aliique de febribus perniciosis locuti sunt. Restaurandus vero aliquas perniciosas cortice peruviano curavit. Etenim febribus syncopalibus, diaphoreticis, aliisque per infusionem in vino corticis peruviani medebatur. Sydenhamius etiam in

epist. respons. ad Bradyum pag. mihi 64. febres intermittentes commemorat, quae inter initia verae apoplexiae signis distinguebantur, quasque sanabiles peruviano cortice censet. Cum vero primus nimis languide, alter perfunctorie intermittentium remedio usus sit, inficiabitur nemo, Mortonum, et Tortium recta exhibendi corticem methodo, primum perniciosas fugasse. Praeterea observandum est, quod dum Tortius easdem febres cortice curabat, Lancisius de ejus medendi ratione non edoctus eodem remedio profligabat febres aquis stagnantibus exortas, quae anno 1695. epidemice Romae grassabantur. Denique post Tortium plures de perniciosis absolute pertractarunt, ac inter recentiores celebrandus est Alibert, aliis etiam operibus clarissimus.

§. 55. Tortius lib. 3. therap. special. in duo genera perniciosas distribuit. Primum eas amplectitur, quae periodice intermittunt, et aliquo gravissimo, et lethali symptomate perniciem denotant, quod accessiones febriles comitatur, et in

vitae discrimen aegrotantes conjicit. Ideo hujusmodi febres perniciosas comitatas nuncupavit. Alterum vero continet, quae non peculiari symptomate, sed variis, gravibusque, etiam ad quietis tempus productis consociantur. Has autem solitarias, et subcontinuas appellavit, quia sensim intermissionem amittunt; et modo tardius, modo citius ad continuitatem, et acutiem propendent. Primum perniciosarum genus septem differentias comprehendit, quae a concomitantis symptomatis diversitate proficiscuntur. Hujusmodi symptomata sunt 1. vomitus, et alvi fluxus vehemens, cholerico ut plurimum; nonnunquam dysenterico aequalis; 2. ventris fluxus, saepius hepatico, quandoque atrabilari similis; 3. cardialgia; 4. sudor frigidus, ac diaphoreticus; 5. syncope; 6. algor indesinens, quem nec calor ullus, nec sudor excipit; 7. soporosus [affectus gravis, et ab apoplexia parum distans. Alterum autem genus unicam differentiam complectitur, secundum ordinem octavam, quae ab intermittentibus

subcontinuis, variis modis, variisque symptomatibus antecedentibus, et comitantibus ad continuitatem, et acutiem inclinatis constituitur.

§. 56. Habito denuo respectu ad peculiare symptoma, perniciosae in colliquativas, et coagulativas dividuntur a Tortio. Ad primas quatuor primae differentiae referuntur, scilicet 1. cholericae, et dysentericae; 2. subcruentae, aut atrabilares; 3. cardiacae; 4. diaphoreticae, quae interdum inter coagulativas recenseri posse putantur. Ad secundas vero referuntur 1. syncopales; 2. algidae; 3. lethargicae, cum quibus apopleticae, et soporosae comprehenduntur. Perniciosae autem subcontinuae modo ad colliquativas, modo ad congulativas, licet ad has frequentius, pertinent. Deinde aliae perniciosarum differentiae ab auctoribus descriptae sunt, quarum nonnullae ab ipso Tortio fuerunt recensitae, etsi rarius occurrant. Morandius septem etiam comitatarum species exaravit, quarum tres primus ipse protulit, de quibus infra loque-

mur; aliae ab aliis observatae fuerunt. Recentiores autem alias addiderunt species, quarum praecipuas recensere non omittemus. Perniciosae comitatae varium habent typum; siquidem modo quotidianae, modo tertianae, modo quartanae sunt aut simplices, aut duplices. Inter omnes vero frequentius tertianae sub oculis cadunt.

§. 57. Caussae perniciosarum illis reliquarum intermittentium actuosiores sunt, et valide in cerebrum, et nervorum systema peragunt. Hinc perniciosae a P. Franchio, et a nobis inter nervosas, et a Pinelio inter malignas, et ataxicas adnumerantur. Maxime igitur hisce febribus obnoxii sunt homines sensibiliores, et a morbis, vel ab immodicis, et assiduis laboribus fracti. Occasionales caussae frequentiores sunt noxia paludum effluvia, quaedam aëris qualitates, deprimentia animi pathemata, et quae irritandi, et naturalem nervorum statum immutandi validiorem habent vim. Quamobrem perniciosae sive comitatae, sive subcontinuae in regionibus paludosis

frequentissime evolvuntur, ubi aër non solum palustri miasmate inficitur, sed calidam et humidam qualitatem habet, sub qua cerebrum, et nervi efficaciter laeduntur. Ob hanc aëris qualitatem etiam in locis non palustribus intermittentes febres perniciosam indolem adipiscuntur. Ipsa autem loca palustria perniciosis non abundant, dum aestivi soles non valde torrent. Apud nos rarissime fuerunt intermittentes, et perniciosae ab anno 1811. ad 1818. cum temperatissimae fuerint aestates, nec pluviae deciderint. Plurimae autem et indubiae observationes confirmant, vel ex animi pathematibus, vel ex humorum vitio, ut venereo, podagrico, scorbutico, vel ex quorumdam corporum irritatione interdum perniciosas oriri. Si vero plures occasionales caussae insimul agant, symptomatum varietas, et complicatio producitur.

§. 58. Quam febres perniciosae periculi plenae sint, ipsum nomen indicat. Cum vero medici munus sit, majus vel minus deprehendere discrimen, hinc se-

dulo caussae, symptomata, epidemiae genium perpendendum est. Si enim a validissimis caussis vires vitales sufflaminentur, mors cito sequitur, nisi eam prompta, et efficax curatio removeat, ut in syncopalibus, algidis, aliisque perniciosis observare contingit. Graviores etiam, et periculosiores sunt perniciosae, quae a caussarum complicatione nascuntur. Ob hanc complicationem ipsae intermittentes benignae saepe perniciosum characterem induunt; quem autem amittunt, si artis ministerio illa sollicite dirimatur. Diligens vero observatio symptomatum non solum febrium absconditam saepe perniciem, sed majus, minusve periculum detegit. Dum enim non apparet lethale symptoma, plura sunt, etiam apyrexiae tempore manentia, quae in suspicionem adducunt, ut cephalalgia, convulsiones, somnolentia, vertigo, vaniloquentia, vomitus, diarrhoea, lipothymiae, virium dejectio, pulsus irregulares, convulsivi, exigui, urina aquea, rubra, foetida, facies nimium immutata, accessiones extensae. Inter cae-

tera vero pulsus, et respiratio observanda est, ut animadvertit Burserius de comitatis perniciosis loquens. Etenim malum est, si in lethargica, urgente soporis symptomate, respiratio anxia, et stertorosa fiat; ut malum est, si in reliquis perniciosis pulsus in accessionibus maxime deprimatur, et debilis maneat, etiam transacto symptomate. Contra vero sperandum est, si pulsus valide, et aequis intervallis moveatur; cum id demonstret, symptoma, licet grave, tam malignae indolis non esse. Scripsit laudatus auctor §. CI. -- Itaque quo magis afficitur pulsus, et languet, praesente symptomate, quo minus, eo superato, et discusso, relevatur, resurgitque, et quo plus roboris, et virium amisit, tanto perniciosius symptoma illud habendum est. Plena vero pulsus defectio summum, atque extremum perniciei gradum designabit, eamque sequetur totius corporis, praesertim extremorum refrigeratio, aut livor, facies, Hippocratica, demumque mors. -- Etiam in perniciosis subcontinuis tanto gravius

erit periculum, quanto magis erit pulsus languens, et depressus, qui deficentiam vitae virium denotat, magisque gravia symptomata, quae harum febrium ad acutiem, et continuitatem tendentiam ostendunt. Tandem ex epidemiae genio febrium discrimen eruitur. Si enim in regionibus paludosis, aut sub quibusdam aëris qualitatibus perniciosae grassentur, etiam benignae intermittentes timorem incutiunt.

§. 59. Perniciosarum curatio prompta, et afficax sit, ut sine cunctatione, suppressa symptomatum intensitate, aegrotantes emergant ab orco. Praecipuum remedium esse peruvianum corticem, nemo est qui neget; sed quae sit ejus generalis exhibenda quantitas, praefiniri sane non potest. Nimis enim varii sunt casus, varium periculum, variaque apyrexiae extensio. In perniciosis comitatis periculosissimis, ut adveniens paroxysmus impediatur, statim corticis uncia, sesquiuncia, aut unciae duae sunt porrigendae. Ubi brevis est apyrexia, oportet in remissionis initio copiose

corticem praebere, ut alter paroxysmus juguletur. Prima hujus divini remedii dosis major sit, ut uncia dimidia, aut amplius; aliae vero doses minores, ut duae drachmae omni bihorio, vel omni hora, si breve sit quietis intervallum. Dum ob pertinacem vomitum, aut deglutitionem impeditam, aut animi obstinationem parum aeger ingerat remedii, tunc ad duplicem quantitatem clysteribus hoc erit injiciendum. Dantur vero casus, ubi ante corticis exhibitionem alia remedia sunt opportuna, ut sanguinis missio, purgatio, emesis, clysteres, ut infra demonstrabimus, cum de variis perniciosarum speciebus verba faciemus. In perniciosis subcontinuis parum differt curativa methodus. Major enim vel minor earum ad continuitatem, et acutiem proclivitas, gravitasque symptomatum, majorem vel minorem corticis quantitatem exposcit. Cum ab imminutione frigoris, longioribus accessionibus, asperitate symptomatum febrem fieri continuam apparet, tempus absumendum non est, sed vix incoepta

remissione, dentur duae, aut tres corticis drachmae, quae omni bihorio, aut citius repetantur. Hoc etiam post sequentes accessiones fiat, donec penitus extirpetur morbus. Si vero febris tempus non concedat, ac gravissimis stipetur symptomatibus, nimirum linguae ariditate, ingenti siti, cephalalgia, pervigilio, delirio, convulsionibus, singultu, vomitu, diarrhoea, urinis subjugalibus, etc. major corticis exhibeatur quantitas, ejusque prima dosis copiosior sit. Denique symptomata in perniciosis tam comitatis, quam subcontinuis curandis peculiarem considerationem merentur, ut aptis auxiliis, quantum per nos licet, eorum mitigetur saevities. Si enim vires nimis langueant, cardiaca, aromatica, vinum, camphora, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, alchali volatile, vesicantia, sinapismata; si convulsiones, et spasmi aegros circumveniant, laudanum liquidum, liquor anodynus mineralis, castoreum, et alia similia locum habent. Quoniam in perniciosis comitatis maxima saepe est virium defi-

cientia, et pulsus sunt exiles, extremitates frigidae, practici solent in vinum corticem peruvianum indere, quod in subcontinuis fieri non potest, quae ad acutam indolem pronae sunt. Pro victu juscula, et sorbilia sufficiunt.

SPECIES PRIMA

Quotidiana perniciosa.

§. 60. Quotidiana perniciosa comitata est quae dum aliquo consociatur gravissimo symptomate typum quotidianae intermittentis habet. Ergo ejus paroxysmi, et symptoma, quod aegrotantis vitae insidias disponit, eadem hora, eademque intensitate recurrunt. Si vero symptoma tam grave non sit, ut aliqua catarrhalis affectio, mitis capitis dolor, etc. tunc febris perniciosam indolem haud sistit. Hujusmodi perniciosa rara quidem est, ut quotidiana intermittens legitima, et benigna non est observatu frequens. Hujusce tamen apud auctores extant exempla,

ut est illa a Storckio descripta, albo cutis tumore sociata. Ut reliquae perniciosae periculosissima est; sed plus minusve discriminis a symptomatis malignitate deducitur. Convenit curatio, quae omnibus perniciosis communis est. Quoniam mihi contigit quotidianam perniciosam observare, ejus historiam mihi liceat paucis referre. Aestate anni 1812. senem septuagenarium hortorum cultorem invisi, quem pridie cum frigore, et sopore profundo invasit febris, in cujus intermissione hebes, et aliquantisper somnolentus remanebat. Postridie autem priusquam eum adirem, febris eadem hora cum comitante soporis symptomate comparuit. Post hujusmodi paroxysmum optimi corticis peruviani sesquiunciam aegroto ingessi, maxima ejus utilitate. Tertia enim die eadem hora, sed non eadem intensitate, et sine sopore rediit febris. Hinc continuato corticis usu, post aliam leviorem accessionem perfecte convaluit.

SECUNDA SPECIES

Tertiana perniciosa

§. 61. Frequentiores perniciosae comitatae sunt quae tertianae simplicis, aut duplicis typum habent. Cum vero notatu digniores ab Ill. Tortio observatae, et descriptae sint, eas auctoris ordine imprimis indicare juvabit, et a cholerica initium sumere. Dicitur itaque perniciosa cholerica, si ejus paroxysmi vomitu bilioso, similibusque dejectionibus; aut sursum deorsum vehementibus, ac simultaneis excretionibus humorum qualitate, et quantitate peccantium ineunt, quibus saepe prasina, et aeruginosa bilis immiscetur. Subinde etiam alia cholerae morbi symptomata extant, ut singultus, vox clangosa, aut rauca, oculi cavi, stomachi angor, sudatiuncula circa frontem, pulsus exigui, extremorum frigus, aut livor. Haec febris periculosissima est, tamen plus minusve periculi infert, quod a symptomatibus, et pulsuum qualitate cognosci-

tur. Si enim pulsus deficiant, corpus frigescat, et livescat, facies sit cadaverica, vita morti proxima est. In prompto, et copioso corticis usu curatio consistit, ut morbi progressus, et exitialis finis repellatur. Non tam magna autem fiducia habenda est symptomatibus, quae interdum prima accessione non adeo gravia apparent, sed sequenti immania fiunt. Saepe corticem in vinum indere prodest, ipsique laudanum, aut theriacam, aut diascordium jungere, ut ad vomendum, et dejiciendum dispositio vincatur. Ad incitandas autem vires, et perniciosum symptoma molliendum cardiaca utilia sunt. Si autem tertiana dysenteriae symptomata praeseferat, perniciosa dysenterica nuncupatur. In hac post vomitum, et dejectiones biliosas, excretiones mucosae sanguineae cum tenesmo, torminibus, atrocibus ventriculi doloribus, aliaque dysenteriae symptomata sequuntur. Hujusmodi perniciosa minus cholerica periculosa est, siquidem minus deprimit vires. Remedium est cortex, sed ad fraenandos dolores

paregorica juvant. Praeterea clysteribus ex aqua hordei et lacte injiciantur.

§. 62. Perniciosa appellatur subcruenta, si ventris fluxus loturae carnium similis, ut hepaticus, eam comitetur. Modo inchoante paroxysmo, modo declinante, haec dejectio placida, frequens, copiosa est, quae cito fit copiosissima. Sitis non urget; mens est sana; sed virium debilitas maxima est, et ad lipotyhmiam propensio. Observavit Tortius, homines obesos hanc perniciosam facilius ferre, sed si a periculo subtrahantur, in morbi diuturnitatem potius delabi. Ut plurimum hic morbus lethalis est, praecipue si, evanescente febre, symptoma non cesset. Ubi vero redeuntibus accessionibus hoc asperius fiat, intra duas, aut tres accessiones impletur vitae finis. Distinguitur autem perniciosa atrabilaris nomine, si dejectus sanguis ater, nigricans, concretus, vel solutus sit. Periculosior haec est subcruenta, ac dum dejectio copiosa obruit vires, sub placidae defectionis specie aegri moriuntur. Promptissime exhibeatur cortex, ac

saepe in vino, ubi maxima est virium dejectio. Etiam spirituosa, cardiaca, generosa vina laudantur.

§. 63. Perniciosa dicitur cardialgica, si vel in stadio frigoris, vel caloris stipetur cardialgiae symptomatibus, scilicet ventriculi dolore, morsu, et inani, ac molesto vomendi nisu. Interdum animi deliquia, pulsuum exili tas, facies hippocratica, luctuosa suspiria, et immanium dolorum caussa clangores, et ululatus non desunt. Si haec symptomata in prima accessione non compareant, saepe in sequentibus non deficiunt. Haec febris est discrimine plena, praesertim si exposita foenomena prodeant. Quapropter eam Tortius in legitimam, et spuriam distinxit. Legitimam ab enarratis symptomatibus, spuriam a quibusdam tantummodo, atque mitioribus consociatam vocavit. Praecipuum remedium est cortex; sed si ventriculi inflammatio immineat, validae sint vires, aetas juvenilis, temperamentum plethoricum, pulsus fortes, et vehementes, statim vena secanda est. Ut autem dolo-

res quiescant, oleosa, anodyna, fomenta utilia sunt. Parum ab hac perniciosa illa distat a Sauvagesio emetica nuncupata, cujus accessiones violentum vomitum humorum biliosorum et mucosorum varii coloris cum ventriculi dolore, et siti comitem habent. Huic autem accedit illa a Mortono exposita *de proteif. febr. int. gen. cap.* 9. *hist.* 14. gravi diaphragmatis spasmo, aliarumque partium respirationi inservientium distincta.

§. 64. Nominatur perniciosa diaphoretica, quae sudori praecoci, copioso, colliquativo associatur. Haec quidem valde fallax est; nam sine praecedenti malignitatis indicio, incipit horrore, rigore, frigore, cui succedit calor. Paullo vero post sudor praecox, copiosus, irregularis, frigidus erumpit. Sub hoc autem colliquativo sudore prosternuntur vires, pulsus fiunt exigui, celeres, respiratio anhelosa, extrema frigida; ac dum mens vegeta manet, aegri sensim succumbere videntur. Aliquando non tam cito, sed circa paroxysmi remissionem paucus, minutus, vi-

scidus, gelidus manat sudor. Hoc vero raro accidit, sed si accidat, mors ex aequo sollicite sequitur. Quoad curationem spectat, praeter corticem cardiaca, sed in primis generosum vinum maxime conferunt.

§. 65. Perniciosa syncopalis est frequenti animi deliquio conjuncta. Ob summam virium imbecillitatem hujusmodi symptoma in levissimo etiam corporis, aut alicujus membri motu revertitur. Pulsus sunt exiles, frequentes, deficientes; frons, et collum sudore madent; oculi excavantur. Tantum est hujusce febris discrimen, ut etsi sequatur perfecta quies, altera accessione aegrotantes mortem oppetant, nisi solerter cortice removeatur exitium. Etiam cardiaca, vinum, odoramenta naribus admota ad sanationem assequendam concurrunt.

§. 66. Perniciosa dicitur algida, si accessionis tempore, tanquam cadaver frigescat corpus, licet magnum frigus aeger non persentiat. Hic est sitiens, anxius, ejus facies cadaverica, pulsus languidi,

depressi, inaequales. Si superetur accessus, corpus incipit calefieri, pulsus aliquantisper elevantur, voxque nonnihil editur rauca, lingua interdum est aspera, urina aut copiosa et tenuis, aut pauca magisque rubra ejicitur. Haec febris maxime periculosa est; sed si frigus non tam protrahatur, pulsus non tam deprimantur, calor vaporosus redeat, morbus potius longus, quam lethalis est. Primum cortex, insuper extimulantia, cardiaca, et generosum vinum curationem explent.

§. 67. Lethargica perniciosa a profundo sopore accipit nomen. Juxta comitantis symptomatis gradum in comatosam, lethargicam caroticam, apoplecticam, et hemiplegiacam dividitur. Modo accessionis initio, modo augmento invadit sopor, qui, ea decidente, minuitur, redeunte vero tam augetur, ut aeger apoplecticus fiat. In hac perniciosa pulsus non sunt debiles, et parvi, ut in aliis perniciosarum speciebus plerumque observantur, sed ut in apoplexia turgentes, validi, et potius rari, quam frequentes sunt. Si sollicita

curatione non eludatur discrimen, una, aut altera accessione adventat mors. Si molestet singultus, respiratio sit laboriosa, tertia, aut quarta accessione vitae finis saepe advenit. Senes aegre convalescunt, qui etsi morbo subinde reficiantur, in hunc tamen vehementius recidunt, obeuntque. Soporis tempore apoplexiae remedia conveniunt, ut sanguinis missio, si robur non deficiat; applicatio hirudinum, et cucurbitularum; vesicantia; sinapismata; frictiones; clysteres, odoramenta. Ad impediendam autem, et compescendam ineuntem accessionem cortex est praesentissimum remedium. Ita breviter perniciosis comitatis Tortii expositis, veniamus modo ad totidem illas a Morando Morandio depromptas. Ex his quatuor etiam ab aliis fuerunt observatae, scilicet catarrhalis, colica, arthritica, pleuritica; tres vero primus ipse observavit, et descripsit, nimirum coeca, scorbutica, petechizans. Perniciosa dicitur catarrhalis a suffocativi catarrhi symptomate. Haec horripilationibus, aut rigore invadit,

quem calor, et sudor sequitur. Frequentiora pathemata sunt tussis, gravedo, sternutamenta, catarrhalis colluvies, a qua pulmones opprimi videntur, et respiratio difficilis fit. Praeterea caput dolet, oculi lacrymantur, jactatio affligit irrequieta, vox rauca fit, tinniunt aures, et interdum saevi intercostales dolores excitantur. Saepe sudores circa frontem erumpunt, pulsus evadit exilis, et ad tussiendum, excreandumque deficiunt vires. Dum accessiones decedunt, hujusmodi symptomata sedantur; dum vero illae redeunt, haec resurgunt. Haec febris periculosa est; nam quarto, aut quinto accessu delabuntur vires, et tam exacerbantur symptomata, ut non raro sequatur mors. Remedium est cortex; sed pyrexiae tempore adhibenda sunt auxilia catarrho suffocativo opportuna, ut sanguinis missio, vapores inspirandi aquae calentis, balnea pedum tepida, decoctiones herbarum resolventium, chermes minerale, gummi ammoniacum, aliaque similia. Omnia vero prudenter facienda sunt; si pulmones, et mem-

brana mucosa saepe apparenter afficiuntur, ac catarrhalia foenomena a spastica pectoris oppressione nascuntur.

§. 69. Perniciosa nuncupatur colica, si vehementi intestinorum dolori conjungatur. Mortonus fuit primus, qui hujusce febris malignitatem agnovit. Ejus paroxysmi frigore incipiunt, quod calor, et sudor excipit. Tam crudeles sunt intestinorum cruciatus, ut inde spasmi, ventris tensio, vomitus, aut molestus vomendi nisus proficiscantur. Summa est anxietas, pulsus sunt parvi. Saevities dolorum augetur, qui in varias partes extenduntur, scilicet ad stomachum, vesicam urinariam, uterum in foeminis. Hinc sudores frigidi, lipothymia, extremorum frigus comparent. Adorientibus accessionibus ingravescunt dolores, qui in earum declinatione sedantur. Haec febris periculosa est; nam dolores intestinales, ut animadvertit Burserius, grave portendunt discrimen, praecipue si, obscurata accessionum periodo, cum febre continui fiant, et in essentialem morbum cito lethalem transe-

ant. Tamen si recte curetur, sanatio sperari potest. Paroxysmi tempore perniciosum symptoma comprimendum est. Igitur clysteres, fotus, jura pulli copiose hausta, emollientia, sedantia, unctiones opiatae usurpandae sunt. Dum vero inflammatio timenda est, adsint vires, temperies sit sanguinea, juvenilis aetas, vena secetur. In declinatione autem accessionum, et apyrexia magna dosi exhibeatur cortex, cui etiam opium adjungi potest, si nullum adsit inflammationis periculum.

§. 70. Perniciosa arthritica, a Mortono imprimis observata, constituitur ab atrocibus doloribus rheumaticis, aut arthriticis, qui universum corpus, aut articulos occupant, ac cursum paroxysmorum sequuntur. Hos enim patiuntur aegri ab invasione frigoris ad paroxysmi finem. Tanta est dolorum atrocitas, ut membra tensa, et dolentia nullo modo moveri possint, nec stragulorum pondus tolerent. Saepe aestus, et sitis ardens est. Dum acerbiores fiunt dolores, accedit anxietas,

anhelitus, extrema debilitas, pulsus depressus, et contractus. Cruciatus cum febre evanescunt, et cum ea periodice regrediuntur. In paroxysmorum declinatione omnia mitescunt symptomata, et urina lateritium sedimentum deponit. Aliquando vero non recedunt dolores, et accessiones diutius extenduntur, et accessiones ad continuitatem vergunt, quod majorem morbi gravitatem denotat, ut Burserius §. 175. ita animadvertit. -- Sed si finita accessione, aliquid eorum superest; nova redeunte, ita increscunt, ut facile in spasmum desinant universalem. Praeterea interdum accessiones diutius protrahuntur, et continuitatem affectant, obscuriori quotidie earum typo reddito. Quo in casu periculosa circa abdominalia viscera symptomata enascuntur; unde hepatis, lienis, aut ventriculi inflammatio imminet, vel saltem febri lentae, et habituali splenica pathemata superveniunt. -- Hujusmodi vero inflammatio non evenit, nisi in hominibus robustis, juvenibus, et sanguineo temperamento praeditis, et qui-

dem raro, sicut plures clinici affirmant. Haec perniciosa majus affert periculum, si crudeles urgeant cruciatus, et ad continuitatem propendeat. Remedium est cortex, sed ad demulcenda symptomata Mortonus in paroxysmo venae sectionem, emetica, vesicantia, et opiata praescripsit.

§. 71. Si pectoris dolor acutus, et pungens, pleuritidem referens intermittentem febrem comitetur, haec dicitur perniciosa pleuritica, quae tertianae typum plerumque sistit. Hanc etiam primus observavit Mortonus. Perniciosum symptoma fere semper circa tertium, aut quartum circuitum apparet. Accessiones horrore, nausea, vomitu incohant; deinde incipit dolor, modo pungens, modo obtusus, et gravativus, qui illis decedentibus, aut cessat, aut mitigatur. Ubi in augmento accessionis crescit dolor, pulsus evadunt duri; difficilis respiratio, inaequalis, interdum suffocatoria; tussis excruciat; eduntur sputa sanguinea; sitis ingens est. Si morbus amplior fiat, alia symptomata pleuritidis propria prodeunt, ut vehemens aestus,

vertigio, delirium, sputa varii coloris, purulenta. Sanguis é vena missus crusta pleuritica tegitur. Urinae vero in accessionibus crassae, turbidae, jumentosae; in earum declinatione lateritiae reddunturur. Ex his deprehenditur, idem principium, quod produxit febrem, ita pulmones irritare, ut horum symptomaticam inflammationem inferat. Hujusce morbi majus erit discrimen, quo graviora sunt symptomata, quae interdum peripneumoniam vehementissimam imitantur. In paroxysmis quae pleuritidi, et peripneumoniae conveniunt, utilia sunt, imprimis sanguinis missio, saepe pluries instituenda. In paroxysmorum vero declinatione prompte usurpetur cortex.

§. 72. Perniciosa fuit caeca a Morandio nuncupata, quae visus hebetationi sociatur. Incipit debilitate, oscitatione, et pandiculatione; deinde accedit horror, rigor, tremor, extremorum pallor, anxietas, nausea, dolor capitis gravativus, obtusus, vomitus, pulsus depressus, citatus, durus, aliqua vertiginosa affectio aliquan-

tisper visionem hebetans; postea ut verbis utar Burserii §. 175. -- calore, et febre invalescente, succedunt inquies, garrulitas, oblivio, visus obfuscatio, sitis, sopor, linguae tarditas, delirium, caecitas, facies luctuosa, urina sedimentum habens lateritium. Simul ac vero remittit febris, paullatim visus restituitur, objectorum imagines primum confusae, mox clare, et distincte cernuntur; mens redit, et resipiscit, superstite aliqua in soporem modo, modo in garrulitatem propensione: quae ubi remanet, superestque, opportune admonet, non omnem é cerebro caussam excussam esse, sed ibi figi, ac stabiliri; -- Ex hisce patet quam ominosa sit hujusmodi febris, cujus principium vehementer in cerebrum, ejusque nervos agit. Conveniunt in paroxysmo venae sectio, alvum lenientia, epispastica; in ejus vero declinatione validissime cortex exhibendus est.

§. 73. Perniciosa scorbutica Morandii a scorbuti symptomatibus distinguitur, quae praecipue sunt maculae irregulares,

latae, violaceae. Ineunt accessiones irregulari frigore, quod mox augetur; pulsus fiunt parvi, et depressi, respiratio difficilis; adest praecordiorum angustia, anxietas, vomendi cupiditas, delirium, sopor, urinae crassae. Haec symptomata in paroxysmorum intermittentia cessant, sed magna virium debilitas superest, ut pulsus languentes, caput grave, et praecordiorum angustia. Hic morbus alea plenus est; nam circa quintam accessionem, haemorrhagia narium, vel intestinorum saepe vitam interimit. Si post septimam accessionem non occidit, in alium morbum, ut in tabem, aut hydropem migrat. Totam curationem cortex absolvit.

§. 74. Perniciosa peticulis varii coloris juncta est petechizans Morandii. In hac per horam circiter acerbum frigus cum dorsi doloribus tensivis membra quatit. Delabuntur vires, frequentes sunt animi defectus. Irregularis sequitur calor cum praecordiorum anxietate. Caput est potius debile, quam dolens; pulsus sunt parvi, exiles, depressi, celeres. Citius

tertia, serius octava accessione peticulae rubrae, aut lividae cum delirio, et animi angore supra collum, pectus, ac humeros praecipue comparent. Sedantur symptomata in apyrexia, sed peticulae remanent. Si hae septimum post circuitum cum mitioribus symptomatibus exiliunt, pulsusque non tam exigui, et irregulares sint, minus discriminis portendunt. Si vero circa tertium circuitum cum gravioribus pathematibus egrediantur, pulsusque debiles valde sint, vitae periculum adducunt. Aliquando in intermittentibus benignis peticulae prodeunt; sed symptomatum asperitas, et ferocia deest, in qua malignus intermittentium character consistit. Cortex est certissimum auxilium. Descendamus modo ad alias perniciosarum species, quae praesertim apud recentiores descriptae inveniuntur.

§. 75. Perniciosa dicitur nephritica, si ejus accessiones vehementissimo dolori nephritico nectantur. Haec in hominibus calculis, et renulis laborantibus excitatur. Praeter renum, et vesicae cruciatus,

adsunt cardialgia, vomitus, singultus, dysuria, stranguria, animi defectus, sudores frigidi, et alia per consensum partium orta; quae manent donec perdurant accessus. Hujusmodi morbus praeceps est, et saepe lethalis. Remedium est cortex; sed in paroxysmis, cum dolores excrucient, balnea, semicupia, fotus, clysteres emollientes, paregorica, oleosa, necessaria sunt.

§. 75. Perniciosa nuncupatur icterica, si perniciosum symptoma icterus sit. Hic etiam in intermittentibus benignis saepe observatur, sed maligna indole caret. Ubi enim perniciem febris constituit, gravis est; nec insimul desunt symptomata, quae in perniciosis occurrunt, imprimis virium debilitas, pulsusque exiles. In intermissione accessionum non evanescit icterus; sed aliquando dissipatur, ut observavit Gilibert, sicut refert Alibert. Haec febris valde periculosa est; siquidem vires vitales maxime eliduntur. Praecipua curatio in copioso corticis usu re-

ponitur ; verum etiam cardiaca locum habent.

§. 77. Si tertianae intermittentis malignum symptoma capitis dolor cephalalgicus sit , ea dicitur perniciosa cephalalgica. Hic vero dolor non semper febribus exitiosum characterem impertit ; sed tantum ubi gravissimus et lethalis est. Hippocrates in coacis praenotionibus cephalalgiam , ut grave symptoma periodicae febris indicavit; Mortonus vero, aliique post perniciosam dolore cephalalgico comitatam delinearunt. Hujusmodi febris periculosa est ; sed matura , rectaque curatione felix obtineri potest exitus , quoniam a vi morbi vitae vires non tam dejiciuntur. In accessionibus symptoma sanguinis missionibus aut generalibus , aut localibus , sedantibus , et paregoricis fraenandum est ; in apyrexia vero , aut dum accessiones minuuntur , prompte , largiterque cortex ingerendus est.

§. 78. Si tertianae intermittenti epilepsia copuletur , ea perniciosae epilepticae acquirit nomen. Frequentius in ho-

minibus convulsionibus, aut epilepsiae obnoxiis excitatur; tamen aliquando eos corripit, qui nunquam convulsionibus, vel epilepsia laborarunt. Periculosa est; sed recta medela saepe removetur discrimen. Cortex est praecipuum remedium; sed huic adjungi debent antispasmodica, ut opium, moschus, castoreum, liquor anodynus mineralis, et alia similia.

§. 79. Perniciosa dicitur maniaca, si delirium ferox tertianae intermittentis comes sit. Tortius hoc symptoma intermittentibus junctum primus adnotavit. Febris ab ipso observata, constanti delirio conjuncta, prius tertianae typum sequebatur, mox in tritaeophiam transibat. Ab aliis postea intermittentium varii typi historiae descriptae fuere, quarum malignum symptoma erat delirium maniacum. Praeter vero delirium reliqua maniae foenomena non desunt. Frigore incipiunt accessiones, quod sequitur calor urens, sitis ardens, facies et oculi rubri, praecordiorum anxietas, suspiria, lacrymae, risus, dejectiones involuntariae. Si acces-

siones intermittant, haec symptomata absistunt; si autem febris ad continuitatem propendeat, manent, sed in accessionum declinatione remissiora sunt. Magnum ab hoc morbo affertur periculum, praesertim si persistat febris, et delirium sit ferox; siquidem ut in phrenitide inflammari potest cerebrum. Si vero intermittat febris, et recte curetur, merito sperandum est. Curatio alia in paroxysmis, alia in eorum declinatione, aut intermissione esse debet. Si adsit plethora, vehementer sanguis feratur ad caput, validae sint vires, aetas juvenilis, aut ex brachio, aut ex pede, aut ex venis jugularibus, aut ex arteriis temporalibus, aut cucurbitula scarificata cervici apposita, aut hirudinibus sive cervici, sive temporibus applicitis, sanguis mittendus est. Etiam potiones refrigerantes, subacidae, clysteres emollientes, applicationes linteorum fronti aqua frigidissima madidorum juvant. Cum vero paroxysmi aut remittant, aut desinant, cortex peruvianus efficacissime exhibeatur.

§. 80. Ubi tertiana intermittens vocis defectui associetur, a recentioribus

perniciosa aphonica nuncupatur. Quoniam haec febris non solum hoc symptomate, sed etiam aliis nervosis symptomatibus stipetur, indubium est, quin inter perniciosas adnumerari mereatur. In constitutione epidemica ann. 1818. cujusdam militis historiam enarrabam, qui mense augusti post aliquot tertianae intermittentis accessus in perniciosam aphonicam delapsus est. Praeter vocis defectum pulsus erant debiles, vires dejectae, oculi languentes; frequentia suspiria, motus convulsivi, et omnium fere sensuum amissio. Apyrexiae tempore mitigabantur symptomata, vox aliquatenus rediebat, et aegre verba exprimebantur. Post quinque accessiones corticis, et anodynorum ope perfecte convaluit aeger. Hujusmodi perniciosa periculosissima est, ut a gravissimis symptomatibus deducitur. Promptus ergo, et copiosus sit corticis usus, cui opiata, et anodyna adjungi possunt. Vinum etiam in debilibus convenit.

§. 81. Perniciosae a quarumdam partium maxime sensibilium irritatione na-

tae, spasmodicae dici possunt; siquidem eas spasmi, et convulsiones praecipue sectantur. Harum perniciosarum aliquod exemplum afferre juvabit. Juvenis aetatis, et roboris flore, gonorrhoeam virulentam improvide adstringentibus cohibuit, et tam urethram, et prostatas lacessivit, ut hae partes inflammarentur, ac tumefierent. Paulo vero post cum frigore, convulsionibus, delirio, anxietate summa febris oriebatur; Calor excipiebat frigus cum inextinguibili siti, et oris siccitate; convulsiones, et delirium permanebant. Post calorem copioso sudore manabat corpus cum aliquo symptomatum levamine. Hinc per aliquot horas intermissio subibat. Cum jam aeger duos febris accessus perpessus fuerit, in consilium a parentibus vocatus, febrem esse perniciosam spasmodicam judicavi. Revera tertia accessio eadem hora, iisdemque symptomatibus aegrum corripuit, necavitque. Ill. etiam Giannini intermittentem febrem nasci posse a locali nervorum laesione arbitratus est, ut cap. 2. sui operis patet. Antequam vero hanc opi-

nionem proponat, hominis historiam commemorat, qui toties quoties aspere cathetere urethram irritabat, febre intermittente corripiebatur, quae ingentis irritationis caussa perniciosis symptomatibus stipabatur. Ratione igitur, et experientia compertum habemus, ex locali nervorum laesione generalem affectionem oriri, motumque sanguinis concitari; nam maxima est in arterias, et cor nervorum vis, et influxus. Perniciosae ab hac caussa natae periculosae admodum sunt, ut ab allata historia liquet. Obbediunt cortici, sed irritationis caussam, si fieri potest, subducere, aut compescere oportet.

SPECIES TERTIA

Quartana perniciosa

§. 82. Febris quartana intermittens bona indole non semper gaudet. Nectitur interdum gravissimis symptomatibus, ex quibus perniciosam naturam acquirit. Ut vero perniciosa evadat, gravissima, et le-

thalia esse debent concomitantia symptomata. Perniciosa igitur non fuit quartana a Scholztio exposita cons. 257. cordis palpitatione distincta, quae per consensum a ventriculo, et a flatibus originem habuit. Raro autem quartana est perniciosa, et dum talis est, non tantum discrimen affert, ut tertiana maligna. In illa enim perniciosa symptomata mitiora plerumque sunt, et ob longius quietis intervallum melius in morbum agunt medicamina. Ex auctorum testimonio scimus, raro quartanam mortalibus signis inire, sed in longo ejus decursu ut plurimum gravia symptomata excitari, aut propter virium decidentiam, aut viscerum vitia, aliudve accidens. Exempla tamen quartanarum non desunt, quae ab exordio periculosissimis pathematibus manifestantur, et confestim ad interitum trahunt. Etiam quartanae, quae non ab initio perniciosae fiunt, in extremum periculum aliquando conjiciunt, ut exemplis ab auctoribus sumendis luculenter patet.

§. 83. Quartanam catalepticam observavit Sauvagesius, qui Nosol. Method. class. 2. feb. interm. inquit -- Anno 1727. dum nosocomii Alesiensis aegros curabam, observavi senem militem quartana laborantem, qui diebus a febre vacuis stupidus, et amens erat, sed imperfecte; jacebat quidem immobilis, et omni sensu, motuque orbatus, excepto pulsu, et respiratione tardis, et obscuris, sed non omnes artus posituram inditam retinebant, quod solum in brachiis observabam; imo suspensum brachium sensim tandem delabebatur. Emetici ope a duobus primis accessibus evasit: ast tertio nocte accedente obiit. -- Bonetus Polyalth. lib. 2. de morbis capitis cap. 28. historiam refert quartanae, quae post sex menses cataleptica fiebat. Carolus Piso selectiorum observ. et consilior. sect. 6. de febribus a colluvie serosa varias observationes quartanae comatosae renunciat. Scholzius consil. 380. puellae historiam narrat quartana epileptica laborantis. Horstius anno 1602. in honesto viro Danieli

Stamn quaestore Giessensi quartanam malignitate conjunctam observavit, superveniente colica gravissima, vomitu periculosissimo solutam. Alia plura hujus generis apud auctores reperiuntur exempla. Inter quartanas perniciosas frequentiores, et in senibus periculosiores comatosae sunt, quae nisi cortice, et epispasticis subigantur, vitam eripiunt. In curatione quartanarum malignarum singulare remedium est cortex, sed auxilia ad symptomata comitantia omittenda non sunt.

SPECIES QUARTA

Subcontinua perniciosa.

§. 84. Perniciosa subcontinua dicitur, quae captiose intermittentiam linquens ad continuitatem et acutiem tendit, pluribus, gravibusque symptomatibus stipata. Cum perniciosa igitur subcontinua confundenda non est febris intermittens, quae per accidens, et non furtim ad benignam continuitatem accedit, ut in simplici tertia-

na usuvenit, quae saepe duplex, aut triplex, et denique subintrans fit. Pro subintrante enim intelligimus febrem, cujus paroxysmi praeoccupant priusquam praecedentes evanescant. In hac desunt gravia symptomata, conservatur periodus, accessiones rigore, horrore, frigore incipiunt, eademque manet ad solutionem dispositio. Indubium vero est, quin in subintrante major adnotetur debilitas, sed haec non a malignitate morbi, sed a frequentioribus paroxysmis inducitur. Quocirca periculosa non est subintrans, et ut reliquae intermittentes benignae curatur.

§. 85. Ex definitione patet, febres, perniciosas subcontinuas non ab aliquo dumtaxat peculiari, et gravissimo symptomate distingui, sed a pluribus, gravibusque, quae in acutis febribus, et malignis observari solent. Inter haec symptomata saepe adsunt, quae perniciosarum comitatarum propria sunt, ut lethargus, syncope, cardialgia, etc. sed remissiora, nec inter caetera excellunt, nec tam praeceps portendunt discrimen. Non

ideo ex hisce symptomatibus, sed majori jure a comparata continuitate hujusmodi febres recipiunt nomen. Ad has igitur cognoscendas non solum symptomata, sed etiam periodorum perturbatio, et acquisita continuitas observanda est. Intermittentes autem febres modo ab initio, modo in progressu ad continuitatem accedunt, scilicet post quartum, vel quintum paroxysmum, vel lentius continuae fiunt. Diligenter Tortius variam celeritatem, modum, tempus, quo intermittentes continuitatem comparant, investigabat, ut belle corticem peruvianum administraret. Hae vero vel initio, vel progressu perniciosam continuitatem nanciscantur, cito cortice oppugnandae sunt.

§. 86. Idem Tortius praecipua adnumeravit signa, quae dispositionem intermittentium ad malignam continuitatem patefaciunt. Haec sunt invasio febris sensu potius caloris, quam frigoris; febris prima die leviuscula, altera fortior, ac inde diebus paribus semper gravior, si tertiana sit duplex. Febris vero etsi sim-

plex suspecta habetur, dum primam validam accessionem accessio levis praecedebat. Inter adnotabilia subcontinuarum symptomata est calor mordax intermissionis tempore, sive febris tertiana, sive quartana sit, qui pulsus perturbet, et sitim, et linguae siccitatem inducat; urina pauca, rubra, crocea. Interdum ulcerosa inflammatio faucium, et gutturis cum crusta alba ob impeditam deglutitionem molestat; quod vero symptoma circa morbi finem criticum esse potest, sed ut plurimum periculosum est. Ex hoc enim signo non solum in imminentis continuitatis suspicionem adducimur, verum etiam mali exitus, praecipue si pulsus sit parvus, vox clangorosa, singultus cruciet, qui tamen interdum ab inflammatione producitur, minusque timendus. Huic subcontinuarum speciei Mercatus, aliique plures differentias attribuerunt.

§. 87. Quamvis perniciosae subcontinuae comitatis lentius procedant, ac inter initia intermittentes sint, tamen valde periculosae sunt. Quo autem majus,

vel minus deprehendatur discrimen, animus ad symptomata intendendus est. Exitialis enim morbus judicatur, si plura adsint pathemata, quae febres malignae primariae secum trahunt, ut parodites, delirium, spasmi, convulsiones, aversatio a cibo, et potu, ut in hydrophobia. Haec autem sunt graviora, si tam fervente, quam mitescente febre persistant. Dum tam gravia non sunt, et declinantibus paroxysmis flectuntur, non ita ingens portendunt discrimen. Curatio ab illa comitatarum non differt. A majoribus dosibus incipiendus est corticis usus, scilicet a tribus drachmis, deinde sensim imminuitur. Eo vero celerius porrigendum est remedium, quo celeriori gressu ad acutiem, et continuitatem subcontinuae appropinquent, gravioribusque symptomatibus stipentur, ut sunt motus tremulus, aut convulsiones artuum, delirium non intermittens, vox tremula, urina subjugalis, singultus, etc. Ne autem subactus morbus remeet, cito cortex linquendus non est.

ORDO SECUNDUS

Febres continuae

GENUS PRIMUM

Febres continuae continentes.

§. 88. Febres continuae continentes, graece συνοχοι, a principio ad finem eodem fere impetu progrediuntur, quamvis matutinis horis aliquatenus defervescant, ac vespertinis exasperentur. Praeterea hujusmodi continuitas aliquam saepe remissionem, et exacerbationem notabilem patitur. Quaecumque enim caussa accedens, etsi levis, febris augmentum inducere valet. Hae vero remissiones, et exacerbationes nullum ordinem, et evidentiam habent, ut in febribus continuis remittentibus, in quibus ordo, et evidentia remissionis, et augmenti palam est, et constans.

§. 89. Jamdudum febres continuae continentes in simplices, et putridas tribuebantur. Primae dicebantur quae simplices sunt, nec valde laedunt functiones; alterae, quae functiones maxime perturbant, et gravibus symptomatibus consociantur. Haec vero partitio minime est accurata. In humoribus enim putredo non habet locum, ac tantum probabilis est ad putrescentiam proclivitas. Praeterea in quibusdam febribus inter putridas recensitis non in humoribus, sed potius in cerebro, et in nervoso systemate deprehenditur vitium. Melius igitur mihi videtur febres continuas continentes dividere in inflammatorias, et nervosas, in eas, quae naturae inflammatoriae, et nervosae participant, ac tandem quae ab aliquo solidorum, vel fluidorum vitio nascuntur. Hujusce divisionis ratio a consideratione specierum, quae sub hoc genere continentur, perspicua fiet.

§. 90. Caussae harum febrium ita solidis, aut fluidis firmiter haerent, ut ipsis continuitatem impertiant. Aliquando agunt

in cor, et arterias, quarum vim, et contractiones augent; et hinc nascuntur febres inflammatoriae naturae, ut synocha est. Aliquando aggrediuntur cerebrum, nervorumque systema, cujus sensibilitatem praecipue laedunt, quamvis etiam reliqua solida, ac humorum crasim pervertant; et hinc nervosae febres originem habent. Aliquando inter initia cor et arterias incitant, mox cerebrum, nervosque tentant; et hinc oriuntur febres prius inflammatoriae, deinde nervosae, ut est synochus putris. Aliquando in aliqua corporis parte, sive in fluidis caussae latent, earumque vim lente exerunt, ac corpora absumunt, et hinc lentae febres, et habituales evolvuntur, ut hectica est. Ad quatuor igitur reducuntur species, quae ad hoc genus spectant, nimirum synocha, nervosa, synochus putris, hectica.

§. 91. Modo febres continuae continentes primariae sunt, modo secundariae. Primae a Ballonio 2. epidem., et postea ab aliis venosae vocabantur; si quidem a fomite in sanguine insidente natae cre-

debantur. Hodie vero hae febres primariae judicantur, cum ab enarratis caussis nascantur; quamvis non inficiamur, sanguinem aut in initio, aut in earum progressu aliquo modo posse immutari. Alterae sunt, quae ab aliis praegressis febribus proficiscuntur. Ex diuturna ex. gr. intermittente febre alteratur interdum humorum crasis, et ex hac alteratione nasci potest febris continua continens. Sic a febre gastrica, quae in primis viis haerentem fomitem pro caussa agnoscit, dum hic influit in sanguinem continua continens febris oritur. Febris igitur sive intermittens, sive remittens in continuam continentem secundariam abire potest.

§. 92. Hujusmodi febres continuae continentes plures varietates habent, quae praesertim ab earum cursu, et quibusdam symptomatibus deducuntur. Praeter enim ordinaria symptomata, aut observatur interdum copiosa secretio bilis, aut in hac praeternaturalis qualitas, ex qua vomitus, vel biliosus fluxus, vel alia symptomata biliosae febris propriam originem ducunt. Sic inter-

dum ob intestinorum torporem, pravarum materierum collectioni faventem, dejectiones concretae, et instar picis nigrae contingunt. Hujusmodi vero foenomena a temperamentorum, et caussarum occasionalium varietate nasci possunt, ut ex. gr. ab immodico anni tempestatum calore. Si igitur febrium continuarum continentium plures sunt species, et varietates, generalis prognosis, et curatio statui non potest, quae tantummodo ex earumdem specierum, et varietatum consideratione est eruenda.

SPECIES PRIMA

Synocha.

§. 93. Synocha est febris modo longior, modo brevior, sed nunquam septem, aut ad summum novem dies praetergrediens, quam pauca, et simplicia comitantur symptomata. A Galeno, aliisque veteribus synochus imputris fuit nuncupata, si quidem in ea sanguinem non pu-

trescere putabant. A pluribus modo synochus simplex dicitur. In hac febre concitatur sanguinis circulatio, sed arteriarum pulsationes regulares sunt, et uniformes; etiam respiratio frequentior est, sed non laeditur; augetur calor, secretionesque augentur; adest dolor capitis, propensio ad somnum, quaedam lassitudo. Haec foenomena distinguunt speciem, sed alia sunt, quae varietates constituunt. Videamus igitur hujusmodi varietates, et in primis de ephemera dicendum est.

§. 94. Ephemera a Latinis dicitur diaria, quia intra diei spatium cursum ut plurimum explet, scilicet incipit, increscit, consistit, decrescit. Post paucas horas consistit, mox sensim minuitur, ac tandem, omnibus symptomatibus absolutis, aeger bene se habet, negociisque restituitur. Suum igitur curriculum modo ad octo, modo ad duodecim, sexdecim, viginti quatuor, et interdum ad triginta sex horas producitur, ac tunc ephemera legitima dicitur. Si vero hoc spatium su-

peret, et ad diem tertium perveniat, ephemera extensa nuncupatur.

§. 95. Ab evidentibus, levibusque caussis generatur ephemera, ut crapula, temulentia, cibis, potibusque calidioribus, calore solis, vehementi motu, intenso frigore, vigilia, inedia, animi affectionibus, evacuationibus cohibitis, maxime sanguineis, etc. Credebant veteres, ephemeram esse morbum spirituum. Opinabantur alii ejus caussam proximam in concitatiore motu spirituum animalium, eorumque majori influxu in cor consistere. Eam vero recentiores in vitalitatis excessu adinveniunt, ideoque diathesim, conditionem pathologicam, et formam in actione aucta solidorum, et in majori quantitate, et vitalitate sanguinis ponunt. Inquit Burserius, ita in ephemera sensibilitatem, aut irritabilitatem, aut utramque vitae vim commoveri, ut inde nascatur febris levis, quae cito quiescat.

§. 96. Quoniam ephemera a caussis parvi momenti producitur, comitantia symptomata levia sunt. Ut plurimum ab-

sque frigore, et horrore incipit febris; tamen interdum rigore invadit, praecipue si a suscepto frigore, aestuante corpore, originem habuit. Pulsus, et respiratio tantummodo concitatur; adest dolor capitis, blandus suavisque calor, lassitudo quaedam, inappetentia, aliqua sitis, urina fere naturalis secernitur. Si caussarum, et symptomatum levitas advertatur, non arduum erit hanc febrem cognoscere, sicut lib. 1. de febrib. inquit Galenus. Tamen in instituenda diagnosi caute incedendum est. Etenim etiam mites intermittentes mitia symptomata, paroxysmos breves, et caussam levem habent. Pulsus vero magnum indicium exhibet, siquidem post ephemeram ut in sanis restituitur, quod in aliis febribus non usuvenit, etsi inter accessiones longum quietis spatium intercedat, ut lib. 1. meth. med. ad Glauc. Galenus adnotavit. Praeterea in ephemera legitima non adnotantur ut in reliquis febribus antecedentia symptomata, scilicet spontanea lassitudo, cibi fastidium, somnus profundus, etc. sed ut plurimum

juvenes sanos, et sanguinea temperie praeditos absque gravibus symptomatibus ex improviso adoritur.

§. 97. Tam mitis est ephemera, ut saepe nullo egeat auxilio, ac sua sponte evanescit. Si tamen caussa non fuerit levissima, diei spatium praetergreditur, ejus symptomata sunt intensiora, et in synocham proprie dictam abit, quod ex majore calore, faciei rubore, et dolore capitis deprehenditur. Conveniunt practici, etiam interdum in synochum putrem transire, quod ex intensioribus symptomatibus, nimirum ex pulsu inaequali, celere parvo, contracto; ex pungenti calore; ingenti siti; molesto, et perseverante capitis dolore cognoscitur; quamvis an ab initio ephemera, vel synochus putris sit, jure dubitandum est. Conveniunt etiam aliquando in hecticam converti, maxime in hominibus ad hanc febrem dispositis, quod ex signis hecticae propriis deducitur. Sed hoc quoque in casu an ab initio ephemera, vel hectica sit, dubitandum fore putamus. Certum vero est, ephemerum sim-

plicem, et legitimam in juvenibus ceterum sanis cito solvi, parumque incommodi afferre; sed in sensibilioribus, biliosis, scorbuticis, leucophlegmaticis, studio, negociisque deditis graviorem esse. Plerumque non profuso, sed levi sudore finem habet, praecipue si ab impedita perspiratione nascatur. Solvitur interdum narium haemorrhagia, ut in plethoricis adolescentibus pluries contingere vidimus. Desinit aliquando vomitu, aut alvi fluxu, praesertim si a prava alimentorum digestione ortum habuerit. Urina plerumque naturalis est, si quae sub fine excernitur excipiatur, utpote magis saturata, et concocta.

§. 98. Praeter ephemeram legitimam primariam aliae apud auctores differentiae inveniuntur, ut est maligna, secundaria, symptomatica, complicata, periodica. Maligna, vero quae saepe epidemica est, ut sudatoria, ad alias febres, praecipue nervosas spectare videtur. Dicitur secundaria, quae ab alio praegresso morbo excitatur, ut ab affectione rheumatica; sym-

ptomatica, quae ab aliquo praesenti morbo nascitur, ut a vulnere, fractura, luxatione, contusione, erysipelate, tumoribus suppurantibus, etc. complicata, si consuetis, et regularibus symptomatibus conjungantur quae ab alia caussa proveniunt, ut a gastrica sorde, intestinorum vermibus, nimis copiosa bile, etc. periodica, si praefinito tempore redit, ut menstrua, bimestris, trimestris, annua, qualem a die natalitio ad senectutem usque Poeta Antipater Sidonius passus est. Inter periodicas frequentior est menstrua, quae primis praecipue menstruationis mensibus puellas corripit, quamvis etiam in nuptis observatur. Foeminae mensilis fluxus difficultate laborantes saepe paullo ante hujus eruptionem accenduntur facie, quamdam corporis lassitudinem, segnitiem motuum, aversationem ciborum, nauseam, vomendi desiderium, dolores uteri et abdominis patiuntur, ac inde febre corripiuntur frigore inchoante, cui calor sensibilis succedit, et ut plurimum sine sudore terminatur. Haec febris ad viginti

quatuor horas extenditur, ac fluentibus menstruis resolvitur. In ejus cursu adnotabilis est ad somnum proclivitas. Plures sunt caussae, quae ad difficilem menstruationem disponunt, maxime temperamentum, nimia sensilitas, quaedam animi pathemata; ac plures, quae ei occasionem praebent, ut improvisus terror, nuncii tristes, immodicae veneris voluptates, immersiones frigidae, potionum gelidarum abusus. Saepe cum aliis morbis ephemera menstrua complicatur, nimirum chlorosi, hysterismo, vermibus, aliisque sordibus gastricis; tamen ejus praecipuus character elucet. Tempore enim menstruationis oritur, ejusque praecipua symptomata ab utero affecto deducuntur. Si simplex, periculo vacat; complicata gravior est. A Nosologis inter ephemeras adnumeratur lactea. Dum post partum, aut post duos, tresve dies incipit secretio lactis, saepe excitatur febris, quae ultra viginti quatuor horas non progreditur. Dum vero plurium dierum spatium percurrit, ephemera minime est, sed febris remit-

tens a caussarum complicatione dependens. Inchoat horripilatione levi, scapularum, axillarum, lumborum, et artuum doloribus; succedit sensibilis calor, et tandem levis sudor a fronte, et pectore erumpit. Inter initia pulsus sunt parvi, et frequentes; mox explicantur. Praecipua symptomata sunt capitis dolor, inquietudo, somnus abruptus imaginibus, mammae turgidae, et tensae, glandulae subaxillares tumescentes et dolentes, molesti et difficiles brachiorum motus, mammarum nigrescentes areolae, et papillae erectae, ex quibus primum lac stillat, lochia imminuta, aut deficientia, aut albescentia, urina pauca, alvus clausa, oris, et corporis superficiei ariditas. Haec omnia sub fine mitescunt, et cessant, ac in primis mammae mollescunt, et lochia restituuntur rubra. Hujusmodi febris ab uberum distensione produci videtur, siquidem post partum ad ea magna copia sanguinis fluit. Juvenes, plethoricae robustae, prolem non alentes huic febri magis obnoxiae sunt, quae quidem periculosa non est, et saepe

sudore acidum spirante, copiosis urinis, et alvi fluxu resolvitur.

§. 99. Ephemera legitima primaria abstinentia, quiete, potionibusque diluentibus, ac leviter diaphoreticis curatur, ut sunt aqua fontis cum syrupo capilli veneris, aut succo mali medici acidulata, emulsiones seminum melonum, decoctum hordei, infusio foliorum thée, aut florum sambuci, etc. Alvum etiam purgare clystere aliquo juvat. Licet haec febris levissima sit, respiciendae sunt caussae, ut pro earum varietate accomodentur auxilia. Si enim caussa fuerit ira, potus refrigerantes, et bilem corrigentes, conducunt; si solis aestus, locandus est aeger in loco frigidiore, et refrigerantibus jusculis nutriendus; si plethora, sanguinis missio, et victus tenuissimus expedit; si crapula, abstinentia, et quae leviter primarum viarum impuritates subducunt. Cavendum est, ne intempestivis auxiliis amplior fiat morbus, ut a repetitis purgantibus, et vomitoriis contingere potest. Dum ephemera est symptomatica, ejus

curatio ab illa primarii morbi dependet. Ubi menstrua est, sive catamenialis, saepe convenit sanguinis missio; praesertim si foeminarum temperies plethorica sit. Ut plurimum vero magis juvat per derivationem sanguinem detrahere, nimirum ex venis utero proximis, aut minus remotis, ut sunt haemorrhoidales, illae partium pudendarum, et pedum. Conducunt etiam emollientia, ut fotus, semicupia, balnea, clysteres; potiones aperientes, et diapnoicae. Dum lactea est, sponte resolvitur; sed quo expeditior resolutio fiat, curare debemus, ut turgescentia mammarum minuatur, extrahendo lac aut arte, aut infante ubera sugente, et lac ipsum a mammis blandis diaphoreticis, diureticis, et purgantibus removendo. Sunt etiam utilia emollientia super mammas applicita, et diluentes potiones. Veniamus modo ad febrem, quae proprie synocha vocatur.

§. 100. Synocha ad quatuor, vel septem dies progreditur. Propter affinitatem, quam habet cum ephemera, fuit plu-

rium dierum ephemera nuncupata. Cum vero illos plerumque corripiat, qui plethorici sunt, aetate florentes, succipleni, aut consuetis sanguineis evacuationibus destituti, fuit a veteribus sanguinea nominata. Hanc ob rationem inquit Galenus lib. 4 method. med. cap. 3. -- In omnibus corporibus indifferenter haec febris consistere non solet; neque in gracili, nec in frigido corpore; sed sanguineis, corpulentis, voracibus, otiosis, vino dulci gaudentibus familiaris est. -- Praeterea observandum est, synocham vere, et aestate ut plurimum adoriri, cum humores concitantur, et rarefiunt.

§. 101. Caussae synochae aliquantisper graviores, et diuturniores sunt illis ephemerae. Si quis ex. gr. excandescat, ephemera; si majore aestuet ira, synocha corripitur. Hinc ad eam resolvendam longiore tempore, et conamine eget natura. Observant clinici, saepe a sola sanguinis abundantia, vasorumque repletione synocham oriri, praecipue si consuetae sanguineae eximanitiones deficiant, aut prae-

finitis temporibus venae sectio omittatur, cum jam minuendi sanguinis consuetudo invaluerit.

§. 102. Symptomata synochae sunt dolor capitis cum temporum pulsatione, lassitudo, respiratio aliquantum difficilis, et frequens, pulsus magnus, et plenus, urina in initio tenuis, sub fine sedimentosa, et crassa, facies rubra, calor lenis, halituosus in tota corporis superficie. Plerumque inter initia omnia mitiora sunt; in augmento, et circa morbi statum graviora. Temperamenti, aetatis, caussarum, anni tempestatis discrimen aliquam variationem symptomatum parit. Haec vero varietas minime impedit, quominus a caeteris acutis febribus synocha distinguatur.

§. 103. Pro varia incedendi ratione fuit variis nominibus synocha a veteribus nuncupata; nempe dicebatur homotonos, seu acmastica dum eodem tenore progreditur, si excipiatur initium, et incrementum, in quo omnia leviora sunt; epacmastica, si sensim increscit; paracmastica, si paullatim decrescit. Hujusmodi decurrendi

varietas indubia est. Recentiores vero quia synocha vel in sanguineis, vel in biliosis temperamentis evolvitur, eam in sanguineam, et biliosam tribuerunt. Sanguinea juvenes plethoricos, caeterumque sanos, praecipue vere, et aestate corripit. Ejus symptomata vehementia sunt, ut pulsus plenus, validus, durus; respiratio difficilis; sensorii functiones aliquantisper mutatae; urina flammea; detractus sanguis inflammatoria crusta obductus. In hac etiam variant symptomata, prout sanguis modo in hanc, modo in illam partem irruit, et stases fere inflammatorias infert, ut optime monet Burserius §.238. Si enim maxime cerebrum, pulmones, aut abdominalia viscera afficiantur, excitantur symptomata hujusmodi affectum denotantia. Biliosa aggreditur homines biliosos, actioni solis expositos, aut ira percitos. Ejus notae sunt calor acer, sitis ingens, oris amarities, cutis ariditas, dolor capitis, urinae tenues. Haec febris non producitur a biliosis humoribus in primis viis nidulantibus, ut gastrica biliosa, quae est

febris continua remittens; sed a parte sanguinis calidiore, tenuiore, acriore, quae a veteribus etiam bilis vocabatur. Tamen observandum est, quod haec febris cum biliosa saburra non raro complicatur; aut vero alterata bilis, et in primis vitiis congesta, hujus febris esse potest effectus. Praeter hanc synochae partitionem, aliae apud auctores extant differentiae. Dividitur enim in benignam, et malignam; simplicem, et complicatam. Simplicem, et benignam jam vidimus; maligna gravibus, et spasmodicis symptomatibus stipata, inter nervosas adnumeranda videtur; complicata aliis morbosis affectibus conjuncta incedit. Ex hac complicatione symptomatum varietas oritur; sed ab hujusmodi varietate in errorem non adducemur, si aëris qualitates, aegri temperamentum, aetas, caussarum actio simultanea, morbi dominantes considerentur. Quapropter, si adsint catarrhalia symptomata, aut gastrica, aut exanthemata erumpant, et eodem tempore signa propria synochae, quae continuitatem con-

tinentem servet, non desiderentur, nil certe de synochae complicatae praesentia dubitandum erit. Aliae differentiae ab auctoribus positae, non ad synocham, sed ad alios morbos, aut ad secundarias, et symptomaticas spectant, ut est synocha catarrhalis epidemica anni 1729. ab Hoffmanno observata, quae ad decimam quartam diem producebatur, exacerbationibus vespertinis, noctibus inquietis, et non raro exitiali miliari, aut petechiali exanthemate distincta, ad febres remittentes pertinens; ut sunt synochae a doloribus, inflammationibus, vulneribus, ambustionibus orsae, quae symptomaticae sunt.

§. 104. Synocha gravior ephemera est, sed, nisi in corporibus male habitis, et aliqua labe vitiatis, minime periculosa. Ubi ejus caussae mitiores sunt, placide decurrit, et saepe vel haemorrhagia, vel sudore, vel aucta perspiratione aliisque excretionibus sponte solvitur. In robustis, et juvenibus plethoricis, vix instituta sanguinis missione, minuuntur symptomata, et vapore halituoso perfun-

ditur corpus. Ex adverso si vitium aliquod in humoribus latitet, facile synocha in synochum putrem commutatur. Generatim si non recte procedat curatio in alios morbos transgreditur, vel exasperatis symptomatibus in longum trahitur. Apposite Hoffmannus de febr. sect. 2. cap. 1. §. 7. admonet -- Si vero omittitur, vel detrectatur venae sectio, febrem ad decimum quartum, quin decimum septimum diem protractam vidi, persistentibus gravibus symptomatibus, ipsoque delirio, tandem vero naturae beneficio, vel per sudorem, vel per alvum fuisse solutam -- Si negligatur curatio synochae biliosae, quae febris ardentis induit naturam, facile inflammantur viscera, et gangraena corripiuntur. In universum caussae leviores, et mitia symptomata, praecipue pulsus aequalis, et respiratio libera nullum esse periculum ostendunt: contra vehementiores caussae, earum complicationes, et graviora symptomata, ut pulsus inaequalis, respiratio difficilis, et suffocatoria morbi aleam denotant:

§. 105. Ad synocham curandam, quae vehementior, et diuturnior ephemera est, praestantissimum remedium sanguinis missio habetur, pluries, si oporteat, repetenda. Narrat Galenus meth. med. lib. 9. cap. 4. sanguinis missione ad animi deliquium in stituta se synocham extinxisse. Tamen licet venae sectio utilis sit, satius est per varias vices, quam uno tempore tantam sanguinis copiam effundere. Non enim id fit sine periculo, ut ipse Galenus lib. de curat. per venae sect. cap. 12. testatur, qui ter mortem accidisse memorat, postquam tanta sanguinis quantitas a tribus medicis fuit educta. Praeterea non omnia temperamenta aequalem sanguinis diminutionem patiuntur, ut gracilia, et biliosa hanc copiosam non tolerant. Si post venae sectiones symptomata persistant, et ob capitis dolorem cum pulsatione, faciei ruborem, et intumescentiam vasa cerebri exonerare necesse sit, hirudines aut temporibus, aut naribus sunt applicandae, maxime si sanguis ab his stillare inceperit. Igitur li-

cet synocha simplex interdum sponte solvatur, ut plurimum venae sectio utilis est, et necessaria. Inquit Hoffmannus sect. 2. de febr. cap. 1. observ. 5. -- Neque etiam omittenda venae sectio sub initio hujus febris, si corpus sanguine redundans, ac pulsuum adest magnitudo, licet haud ita pridem sit admissa. Aliquot enim exinde mortuos, vel in summum vitae discrimen adductos novi, quibus medici ob id sanguinem subtrahere renuerint, quia ante unum, vel binos menses modo factum; quum tamen ex longo usu, et experientia in comperto sit, hac in febre, non semel, sed bis interdum, pro virium robore, et sanguinis abundantia, venae sectionem esse administrandam. -- Animadvertendum est, quod si vena in pueris secari non possit, hyrudines collo, aut brachiis applicitae maximam afferunt utilitatem. Curavi puerulum biennem, cui ob pulsuum plenitudinem, faciem rubram et tumidam, anxietatem, respirationem difficilem ope hyrudinum sanguis fuit imminutus. Im-

mediate post omnia in melius ibant, donec quarta die febris omnino evanuerit.

§. 106. Educto sanguine, inquirendum est, an primis viis haereant saburrae, quod ex praegressa edacitate, lingua albida, oris amaritiae, stomachi pondere, siti, nausea, vomendi proclivitate cognoscitur. Si haec adsint signa, lenia laxantia adhibeantur, ut cremor tartari, manna, pulpa tamarindorum, etc. In synocha biliosa semper juvant, quae alvum movent et refrigerantia sunt. Si purgatio non conveniat, aut ob aliquam caussam dari non possit, clysteres emollientes, et relaxantes injiciendi sunt. Praeterea refrigerantia, et diluentia, quae humores attenuant, et calorem mitigant summopere laudantur. Galenus ad extinguendum aestum, roboranda solida, et humores inutiles per alvum, urinas, sudorem expellendos, aquam frigidam hauriendam praecipiebat, donec pallesceret aeger, totisque artubus contremisceret, ac refrigeraretur. Tamen ipsemet rem alea plenam detegit, multasque conditio-

nes posuit, quae cum saepissime desiderentur, melius est tutioribus refrigerantibus uti. Quocirca aqua simplex, vel succo mali medici acidulata, decoctio hordei, graminis, avenae, radicis scorzonerae, emulsiones ex seminibus frigidis cum nitro utiliores sunt. Si vero multa adsit sanguinis tenuitas, ut in synocha biliosa saepe contingit, aliquot guttas spiritus vitrioli potionibus addere praestat. Dum natura morbum solvere per sudorem propendeat, hunc infusionibus herbae veronicae, foliorum sambuci, aut théo obsecundare debemus. Haec sunt simplicia remedia universim a practicis adhibita; sed alia sunt, quae hodiernis Italiae systematicis quadrant, ut digitalis purpurea, barites muriata, aqua distillata lauro-cerasi, etc. de quorum convenientia, et efficacia aliis judicare relinquam. Denique respirandus aër sit renovatus, purus, frigidiusculus; victus tenuis, et refrigerans, in jusculis, panatellis, pomisque coctis consistens.

SPECIES SECUNDA

Nervosa

§. 107. Febris nervosa vocatur, quae cerebrum, nervorumque systema potissimum afficit. Haec plerumque continua continens est; etsi aliquando remittentium ratione incedat, easdem caussas, ac fere eadem symptomata habet, eamdemque curationem exposcit. Plura obtinuit nomina, quia sub vario aspectu corripit. Modo enim acuta est, modo lenta, modo exitialis, modo non tam gravis; modo post paucas horas, modo cunctanter, furtimque enecat; modo est simplex, modo aliis complicata morbis. Esse autem potest sporadica, epidemica, contagiosa. Non est morbus, aut symptoma, quod interdum nervosam febrim non comitetur. Quapropter capitis dolor, agrypnia, alienatio mentis, sopor, animi defectio, sitis, vomitus, praecordiorum anxietas, virum lapsus, profusi

sudores, peticulae, et alia exanthemata, phrenitis, angina, pleuritis, hepatitis, alvi fluxus, aliaeque aegritudines huic saepe adnectunctur. Ejus vero communia signa sunt subita, et ingens virium dejectio, imbecillitas et inaequalitas pulsus, urinae ut plurimum naturales, sopor, aut cum continua vigilia delirium, aspectus, et oculorum mutatio, et varia nervosi systematis perturbatio. Ad detegendam igitur febrem nervosam haec in primis signa, omniumque symptomatum complexum inspicere oportet, quae ratione intensitatis morbi, temperamenti, aetatis, alimenti, locorum diversa esse possunt, et inter se saepissime opposita.

§. 108. Magis huic febri obnoxii sunt, qui impurum, laxum, parumque perspirabile corpus habent; laboribus vigiliis, studiis, tristitia, fame maxime fracti; aërem vitiatum spirantes; evacuationibus nimiis laborantes; gravidae mulieres; infantes; et qui nervorum, solidorum, et humorum vitia patiuntur. Plures autem esse possunt occasionales caussae, ut quae-

dam atmosphericae qualitates, quaedam alimenta, et potus, quaedam animi pathemata, retentio illorum, quae excerni deberent, effusae evacuationes, nimii labores, exercitationes diu protractae, diuturnae vigiliae, ignavia, otium, nimius somnus, immodica venus, efficaciora stimulantia, contagium, et quae corpora labefactant, et nerveum laedunt systema. Aëris qualitates nervosarum febrium generationi faventes, sunt nimia caliditas et humiditas, illius inaequalitas, anni temporum immutatus ordo, ut hiems calida, aestas frigida, noxia paludum effluvia a ventis salutaribus non abrepta. Sic alimenta et potus, si pravae naturae sint, easdem febres gignere valent; siquidem infirmant corpora, cacochymiam generant, humoresque depravant. Talia sunt, quibus in summa cibariorum inopia vescitur populus, ut cerealia corrupta, carnes putrescentes, morticinae, diu servatae; vina depravata, impuri latices a paludibus, aliisque locis infectis hausti. Vehementia animi pathemata, ut ira,

gaudium, amor, et inprimis deprimentia, ut timor, tristitia, moeror nervis infensa sunt. Tandem excernenda retenta, ut menstrua in mulieribus, fluxus haemorrhoidalis in hominibus, quia corpus onerant, bonamque humorum crasin invertunt, febribus nervosae indolis ansam praebent. Quoniam vero ex consideratione varietatum febris nervosae, earum prognosis, et curatio est elicienda, ad has varietates descendamus, et ab ephemera maligna initium sumamus.

§. 109. Ephemera maligna, quae sporadica, epidemica, et contagiosa esse potest, efferis nervosis symptomatibus stipatur. Ad sporadicam refero, quae ab Hippocrate dicitur gangraenosa, aliisque pluribus observata. Hoc obtinuit nomen a gangraena aliquam corporis exteriorem partem, sed ut plurimum extremitates inferiores, et pedes occupante, ac citissime mortem afferente. Nasci potest dubium, an hujusmodi febris primaria sit, aut symptomatica, et secundaria. Cum vero ex historiis auctoribus exaratis de-

prehendamus, saepe eodem tempore dolorem in parte aliqua, et febrem oriri, mox gangraenam subsequi, cum Burserio ut primaria hoc in casu habenda est. Ut igitur hujusce febris aperiatur diagnosis, satis sit historiam Critonis referre, brevissime et luculentissime 1. epidem. ab Hippocrate ita descriptam -- Critoni in Thaso pedis dolor incepit fortis a digito magno erecte ambulanti: decubuit eadem die, horridus, anxiosus, parum subcalefactus; nocte deliravit. Secunda tumor per totum pedem, et circa talum subruber cum contentione; phlyctaenae parvae, nigrae: febris acuta: furebat. Ab alvo autem sincera, biliosa, submulta prodierunt: obiit secunda die a principio -- Si alias autem ab auctoribus descriptas historias perpendamus, facile cognoscitur, tristes, melancholicos, et animi pathematibus confectos ephemerae gangraenosae magis esse proclives. In his enim talis esse videtur praedispositio, ut nullo negotio gravissima solidorum laesio, fluidorumque mutatio inducatur. Lucu-

lenter revera ex symptomatibus patet, maxime systema sensile, et irritabile laedi, et fluidorum crasim dirui. Quamvis autem hujusce febris foenomena hac praedispositione dilucide explicari non possint, tamen magis suadet, ea ab hoc fonte deducere, quam principio maligno, et venefico Galeni, aut Mercurialis, ab atrabile Burserii veneni erodentis et corrumpentis indole ditata, ab humore arthritico, rheumatico, podagrico aliorum, quo saepe nunquam aegrotantes laborarunt. Nec quorumdam opinionem sequimur, qui hanc febrem vel inflammatoriam, vel erysipelatosam judicant, siquidem harum febrium necessarii characteres desiderantur. Ephemera gangraenosa aliis affectibus, et praecipue vitiata bile complicari potest. Haec enim inter initia morbi saepe corrumpitur, eumque graviorem reddit.

§. 110. Cum haec febris a processu pendeat, qui citissime corporis compositionem diruit, mortis fere semper irreparabilis ratio liquet. Quamvis vero ad hanc

impediendam validiora remedia inefficacia sint, nihilo tamen minus curatio tentanda est. In morbo, qui vires vitae protinus delet, generalis sanguinis missio locum non habet. Parti potius affectae, si haec admodum doleat, caleat, tumeat, rubeat, hirudines admoveri possunt. Si in primis viis adsint saburrae, aut eccoprotico, scilicet pulpa tamarindorum, vel cremore tartari, aut clystere aliquo subducantur. Medicamenta autem, quae deletricibus morbi viribus resistunt, sunt cortex peruvianus, elixir vitrioli, radix contrayervae, serpentariae virginianae, polygalae, camphora assa foetida, opium, quae variis vicibus, variaque forma porrigi possunt. Ut vero partis affectae dolor, et spasmus leniatur, fotus ex aqua tepenti et lacte, aut cataplasmata ex mica panis et lacte parata, applicentur. Deinde lintea decoctione corticis peruviani madida imponantur. Si haec non juvant, ut plerumque evenit, inutiles imo damnosae sunt scarificationes, aut amputatio partis; nam morbus non a locali,

sed ab universali affectione proficiscitur.

§. 111. Est ephemera maligna epidemica, quae dicitur sudatoria. Hanc primum Anglia anno 1483. experta est, unde etiam sudor anglicus nuncupatur. Pluries deinde angliam revisit, et per plures Europae regiones tam effera peragravit, ut pestis, vel febris pestilens fuerit inde vocata. Vitales enim vires ocyssime laedit, frequentes lipothymias adducit, gravissimisque symptomatibus stipatur. Invadit cum tremore, et horrore, cui succedit calor, et hinc usque ad interitum profusi, et olentissimi sudores manant. Frequentiora foenomena sunt magna sitis, internus aestus, inquietudo, anxietas, cum desperatione pavor, stomachi affectio cardialgica, vertigines, cephalalgia, convulsiones, cordis palpitationes, pulsus celer, frequens, inaequalis, respiratio etiam celer, et anhelosa. Haec septima hora graviora evadunt; circumveniunt delirium, et sopores, lapsusque virium major fit. Hujusmodi febris autumnali, et aestivo tempore, humida, et uliginosa aëris con-

stitutione favente, grassatur. Oppetit in primis robustos; debilibus, infantibus, senibus, pauperibusque parcit. Observatum est, quod indigenae non servabantur incolumes, etsi in alias regiones migrassent; dum advenae epidemici morbi immunes remanebant. Tales igitur erant praedisponentes caussae, ut solidorum vires destruerent, et sanguinem ita solverent, ut facile per cutis meatus partes subtiliores exirent. Burserius autumat, hanc febrem non contagiosam a peculiari principio vel a putridis terrae effluviis emisso, vel a corruptis animalibus producto, vel corporibus innato originem habuisse. Hic morbus exitiosissimus est; nam intra diei, vel interdum intra sex, aut septem horarum spatium, enecat. Plerumque ad sanitatem perveniunt, qui viginti quatuor horas superant, et valde, et assidue sudant. Contra pereunt, aut in grave veniunt discrimen, qui tam copiosum, et assiduum sudorem non educunt. Si igitur in sudore reponatur salutis spes, in hoc servando, et promo-

vendo curationis momentum consistit. Quapropter venae sectio, et purgatio non conveniunt, neo emesis multum juvat. Alimenta etiam nocent. Solum sudor sudoriferis, calidisque potionibus custodiendus est, aut revocandus, si forte imminuatur. Omni autem diligentia removendum est frigus, ne impediatur sudor, cujus interruptio, etiam brevis, mortem adducere valet. Pro alimento sufficiant potiones, primis vere horis interdicendae. Dum sub effusis sudoribus vires languent, hae roborantibus, et cardiacis, nimirum confectione chermesina, aqua cinnamomi, vino generoso reficiendae sunt. Aegrotantes ad somnum inclinant, qui sedulo abrumpatur, ne victi profundo sopore moriantur.

§. 112. Ephemera maligna contagiosa a contagio orsa, cito stragem edens propagatur, cujus plura apud auctores extant exempla. Gravissimis consociatur symptomatis, quorum praecipua sunt virium exsolutio, convulsivi motus, stupor, pulsus inaequales, frequentes, parvi, vix

sensibiles, inordinatae frigoris sensationes, facies cadaverica, deliquia, anxietates, desperationes, vomitus materiei viridae, aeruginosae, involuntariae et olentissimae dejectiones, obtutus terrificus, visus obscuratus, aphonia. Ad hanc febrim referri potest illa pestilens, quae Massiliae anno 1720. truculentissime grassata est. Hic morbus lethalis, saepe invincibilis intra spatium aliquot horarum vitam adimit. Curatio non differt ab illa, quae pro contagiosis morbis adhiberi solet. Raro igitur generalis sanguinis missio locum habet; sed hirudines aut ad tempora, aut post aures applicare licebit, si aeger sit juvenis, plethoricus, et stupore afficiatur. Conducit emesis, ut per spiracula cutis quantocius contagium expellatur. Quandoque leve purgans, et clysteres, praecipue ex chamomilla parati prosunt. Deinde lenia sudorifera, antiseptica, sedantia in usum revocentur, quorum delectus a varia aegrotantium sensibilitate, temperie, sexu, aetate, et anni tempore dependeat. Ju-

vant etiam revellentia, praecipue cantharidum applicatio. Saepe vero datum non est, hujusmodi auxiliis indomitam refraenare luem.

§. 113. Synochae malignae a pluribus auctoribus descriptae ad febres nervosas pertinent. Has enim praecipue comitantur nervosa symptomata, ut maxima debilitas, tendinum subsultus, convulsiones, pulsus parvi, inaequales, respiratio difficilis, praecordiorum anxietas, facies immutata, oculi turbidi, petechiae, etc. Ad nervosas etiam febres pestilentes spectant, illae scilicet ita nuncupatae, quia pestis aemulae sunt. Ab hac revera non differunt, nisi propter nonnulla symptomata, quae plerumque inter pestis initia observantur, ut bubones, carbunculi, anthraces, petechiae, maculae gangraenosae, parotides. Haec vero symptomata etiam in decursu febrium pestilentium comparent, eamdemque indolem praeseferunt. In hujusmodi febribus foenomenorum varietas maxima quidem est. Ex his autem praecipua,

et frequentiora sunt ingens ab initio virium jactura ; pulsus fere naturales , debiles , parvi , frequentes , inaequales ; calor mitis placidusque ; facies extenuata et naturali absimilis ; oculi tristes , concavi saepe rubri ; magna sitis blando calori non respondens ; vel nulla sitis dum lingua est sicca , nigra , et aspera ; nausea , vomitus , et alimenti animalis fastidium ; dolor capitis gravans , qui modo sinciput , modo occiput tenet ; dolor etiam aliarum regionum , praecipue pectoris , modo immotus , modo errans ; agrypnia ; delirium ; sopor ; urina prius naturalis , et copiosa , mox pauca , crassa , turbida, magis colora , et interdum aliquid non boni sedimenti diffusum continens ; alvi dejectiones prius saepe naturales , deinde involuntariae , biliosae , sanguineae , putentissimae , et lumbricis mixtae ; sudores pauci , inutiles , frigidi , glutinosi ; cum desperatione timor ; tremor linguae, manuum , caeterarumque partium ; tendinum subsultus ; convulsiones ; peticulae rubrae , virides , purpureae , lividae ,

nigrae, plus minusve latae et copiosae, sive primis, sive judicatoriis diebus erumpentes; vibices, quae corporis superficiem foedant; exanthemata varia; aphthae, saepe gangraenosae, labia, linguam obsidentes; bubones, anthraces, parotides; vox rauca, exilis, aphonia; facies cadaverica, et emissus cadavericus odor; spiritus frigidus; sudor etiam frontis frigidus, et glutinosus; denique orbatus sensibus aegrotus mortem oppetit. Hae febres ad pestem accedentes perniciosissimae sunt; tamen ab observatione symptomatum praesagium potissime regitur. Ex his enim sunt; quae aegros morituros admonent, ut subita virium dejectio; pulsus debiles, inaequales, inordinati, naturalibus similes; delirium persistens; alvi dejectiones immodicae, et colliquativae, convulsiones; lipothymiae frequentes; tremor manuum, et linguae; respiratio difficilis; parotides in augmento, et statu morbi; peticulae pravi coloris; aphthae lividae, gangraenosae; urinae nimis copiosae sine imminutione mor-

bi, crassiores, tenuiores, nigrae, livescentes, sedimentum etiam livescens deponentes; pulsus, qui fiunt exilissimi, fluctuantes, vermiculares; subsultus tendinum, aliaque hujus generis. Ex adverso alia sunt, quae jure meritoque spem recuperandae salutis alunt, ut decubitus fere naturalis; delirium sudore, vel somno coercitum; urina bonum sedimentum relinquens; sudores aequales, vaporosi cum morbi levamine; respiratio facilis; somnus quietus, et restaurans; etc. Praecipua autem curatio in obsecundando sudore ponitur. Nunquam vero hic sit nimis profusus, et validiorum calefacentium, et sudoriferorum vi, aut tegumentis concitatus, ne elidatur spiritus. Dum salutarem sudorem, contagiosam materiem expellentem, adjuvare velimus, vitae vires spectandae sunt, quae si nimis sub continuo sudore extenuentur, cardiaca et roborantia usurpentur; sed juscula, merum, aqua cinnamomi caeteris praeponantur.

§. 114. Totidem sunt nervosae febres, quae a recentioribus, caussa stuporis spiritus, et corporis, quem sive in initio, sive in progressu advehunt, typhicae dicuntur. Quoniam hae febres plus aut minus sunt graves, in typhum mitem, et graviorem dividuntur. Typhus mitis febri respondet, quam primus Huxhamius lentae nervosae nomine insignivit. Subdole, lentoque gradu procedit, ac saepe ultra tres, aut quatuor hebdomadas extenditur, quamvis, si sit epidemica, velocior est. Per plures dies male aegri se habent, sed non recumbunt. Praecedit lassitudo, tristitia, torpor, consortii fastidium, inappetentia, inordinatae frigoris, calorisque sensationes, capitis gravitas, aut dolor modo occipitis, modo sincipitis, vertigines, nausea, ciborum aversatio, ventriculi molestus sensus, vomitus aut vomendi cupiditas, praecordiorum anxietates, timor, inquietudo, temporum adstrictio, palpitatio cordis, facies aut rubra, aut pallens, aut tristis, aut a statu naturali recedens,

oculi languidi, pulsus exiles, celeres, inaequales, intermittentes, varii, respiratio difficilis, pectoris oppressio, vigilia, aut brevis somnus, ferisque viris perturbatus, calor mitis, sed interdum inaequalis; nam dum manus, aliaeque partes urunt, pedes, et alia membra rigent. In hoc vero primo morbi stadio omnia mutabilia sunt. Postquam per aliquot dies ambigerunt aegri, an gravis morbus, vel salus sequutura, tandem debilitate aucta, morboque ampliore reddito, lectum petunt. Nil exposcunt, obstupescunt, animo deficiunt, mens aliquantum alienatur, accedunt partiales tremores, tendinum subsultus, linguae siccitas et nulla sitis, aut absque linguae siccitate sitis ingens, urina tenuis, aquea, pallida, interdum turbida, crassa, aut veluti farinam conspersam continens. Haec in dies increscunt, praesertim dejectio virium. Cum progrediatur morbus, et ad finem properet, aeger stupidus, supinus recubat, et valde hallucinatur. Quaerentibus tarde respondet,

quod interdum ob aurium hebetationem evenit; affirmat bene se habere, nihilque, nisi debilitatem, artuumque lassitudinem conqueritur; sibi videtur susurrum, aut fragorem audire. Oculi lucem prius refugientes, eam patiuntur; sudores manant profusi, gelidi, glutinosi; varia efflorescunt exanthemata; inflantur parotides; aphthae saepe lividae, aut pallidae linguam, et fauces obsident; pulsus fiunt exilissimi, celeres; profluunt involuntariae lacrymae; sopor profundus opprimit; ultro excrementa labuntur; frequentius saliunt tendines, et convulsiones arripiunt. Haec dum contingunt, aegri de vita decedunt. Non raro typhus mitis cum aliis morbosis affectibus complicatur, praecipue cum gastricis saburris, et vermibus, qui in ventriculo, aut intestinis nidulantur. Hae complicationes propriis cognoscuntur signis. Si enim vermes latent, non desunt tormina, colicae, dejectiones foetidae, vomitus, rubores genarum fugaces, dilatatio pupillae, narium pruri-

tus , somnus subito pavore abruptus , palpebrae in somno diductae , et oculi album non bene contegentes , etc. Sic a signis diatheseos inflammatoriae , et inflammationum viscerum complicatio phlogistica deprehenditur . Cadaverum observationibus , et extispiciis inflammata inveniuntur viscera , et serosi humores in cavitatibus collecti .

§. 115. Typhus mitis , si spontaneus est , et sporadicus , aggreditur praesertim homines laxae temperiei , pathematibus deprimentibus obnoxios , male altos , vitiatum , et corruptum aërem respirantes, et multigenis caussis debilitantibus confectos. Quoniam sub istis conditionibus debilitantur solida , vitiantur humores , in primis sanguis,et lymphaticus latex, evolvitur febris nervosi generis , cujus praecipuus character est cerebri , nervorumque laesio . Inspectiones cadaverum nos docent , maximam solidarum partium laxitudinem , et humorum fluiditatem adesse . Si epidemicus est , et caussis communibus ortus , plurimos corripit . Nascitur enim a qui-

busdam aëris qualitatibus, aut a maligno miasmate nervorum systemati infenso, et hinc popularis evadit. Dum est contagiosus, a contagio vel in corporibus evoluto, vel in corpora introducto producitur. Expedite per subtilissimos vapores ab infectis corporibus manantes in illos, qui aegros tractant, aut ipsis proximi sunt, diffunditur. Cognoscitur ab effectibus; nam ab ejus actione laeditur in primis nervorum sensilitas, hinc reliqua solida, humorumque crasis perturbatur. Cum autem contagium non aequali modo in varia systemata agere videtur, hinc admodum diversa symptomata nascuntur.

§. 116. Morbi eventus a symptomatum consideratione, et statu virium praenoscitur. Non raro typhus mitis opportuna curationis methodo superatur. Aliquando natura ipsa morbi materiem abigere tentat, ut a quibusdam deducitur signis. Si dum gangraenae externas partes invadunt, praesertim circa coccygem, os sacrum, nates, morbus minuatur, dubitari non potest, quin natura morbi princi-

pium extrudat, et ad externas partes cum levamine deponat. Aliquando resurgunt vitae vires, et a secunda hebdomade pulsus validiores fiunt. Hoc in casu saepe laudabilibus secretionibus judicatur morbus. Urina secernitur satura, quae levem nubeculam sistit, aut ad matulae fundum sedimentum album, vel arenulas, vel salium crystallos dimittit; sudores calidi, universales, continui manant; lingua sordido muco repurgatur, suoque fonte copiose profluit saliva. Hoc modo saepe lenta obtinetur morbi solutio. Aliquando post vigesimam diem aegrotantes extemplo sanitatem recuperant. Cessant enim protinus symptomata, accedit somnus quietus, alimentorum appetentia, pulsus fit aequalis, et validus, calor naturalis, respiratio expedita, et cutis madore perfunditur. Aliquando morbus ad quadragesimam diem, et ultra protrahitur, nec eo subacto confestim sanitas confirmatur. Defluunt enim capilli, accedunt oedemata, mentis et corporis vires diu infirmae manent.

§. 117. In curatione typhi mitis nervorum et cerebri, nec non virium vitalium conditio in primis respicienda est. Sub morbi initium ut plurimum conducit emesis, praecipue si contagium in caussa sit. Hoc enim remedium vomitu, et perspiratione insensibili materiem contagiosam deturbat, humorum circulationem incitat, concutit nervos, resolvitque spasmos. Emesis vero sit levis, ne vehemens ejus actio debilitatem augeat. Interdum emeticum repetere juvat, si in ventriculo gastrica sordes extet, dummodo vero virium infirmitas id non impediat. Purgatio raro convenit; nunquam autem valida. Itaque si primae viae sordescant, et vires non tam dejiciantur, aut clysteribus, aut eccoprotico, ut syrupo de cichoreo cum rhabarbaro, florum persicorum, manna, pulpa tamarindorum alvus cienda est. Etiam in decursu morbi, si venter stipetur, excrementisque oneretur, emollientes, et laxantes clysteres injici debent. Concedantur potiones frigidae ex aqua cum succo mali medici, aut

aurei paratae . Si irritabilitas , et sensibilitas nimis langueant , et propter cordis , vasorumque languorem humorum circuitus , praecipue in minimis vasculis tardior fiat , tam sub morbi initium , quam in progressu , vesicantia utilia sunt , quippe quae extimulant , et revulsionem faciunt . Praeterea ex ulceribus , quae inurunt , materies purulenta effunditur , quae retenta cerebrum , aliaque viscera offenderet . Clinici itaque dum aeger soporosus est , aut delirans , aut de capitis dolore , aut oppressione pectoris , et difficili respiratione queritur , brachiis et extremitatibus inferioribus jure vesicantia apponunt , nunquam nimis cito exiccanda . Ab his vero cavendum est , ubi sanguis sit dissolutus , vasisque exeat ; nam cantharides hanc dissolutionem augerent. Aliquot abhinc annis summopere affusiones , et immersiones aquae frigidae a quibusdam doctissimis in arte viris laudantur , si fiant in vigore morbi , dum febris exacerbatur , et calor , sitisque augetur . Cum progreditur morbus , et sum-

ma est virium debilitas, nervorumque turbae, opportuna auxilia sunt aether vitriolicus, camphora, moschus, cortex peruvianus, et alia similia. Cardiaca etiam locum habent, inter quae vero vinum praeminet. Victus reficiens sit, et restaurans.

§. 118. Typhus gravior maligniorem indolem praesefert, ejusque symptomata perniciosa sunt. Inter initia speciem inflammatoriam offert; nam in prima ejus accessione vires auctae videntur; pulsus sunt celeres, vibrantes, duri; facies, et oculi rubri, ac sanguine turgentes; calor ubique diffusus; arteriae carotides valde pulsant; sitis urget; labia, et lingua admodum arescunt. A vera tamen inflammatoria diathesi maxime distat. Ocyter enim, et saepe post primam diem accedunt symptomata gravissimam nervorum affectionem indicantia. Pulsus fiunt debiles, parvi, frequentes, abnormes; tendines subsiliunt; summa est virium infirmitas; caput dolet; intercurrunt rigores; lingua evadit arida, aspera; den-

tes, et labia tenaci glutine obdueuntur; respiratio aegre absolvitur, et suspiriis interrumpitur; maxima est animi dejectio; urina modo cruda et pallida, modo rubra et turbida, modo subfusca et valde foetens redditur; interdum materiei biliosae et subnigrae vomitiones, interdum earumdem materierum olentissimae dejectiones praesto sunt. Saepe in decursu morbi comparent foenomena aliquam partialem inflammationem denotantia, ut delirium nonnunquam ferox, dolor in latere pectoris, aut gutturis cum praepedita deglutitione, vel respiratione. Hujusmodi vero foenomena non sunt semper verae inflammationis, sed potius spasmi effectus. Interim mirum in modum amplior fit morbus. Respiratio evadit laboriosior, pulsus frequentior, augetur virium vitalium destitutio, nigrum in urinis et foetidum sedimentum subsidit, dejectiones alvi, et urinae voluntatis injussu deponuntur, sanguis a variis partibus erumpit, praecipue gingivis, naribus, ore, intestinis, prodeunt vibices,

et exanthemata varia, ut miliare, peticulae, quae aliquando primis morbi diebus prorumpunt, aliquando post decimam quartam diem, gangraenae partes invadunt, apthae os, fauces, oesophagum, ventriculum, et intestina obsident, unde interni et graves dolores, deglutiendi difficultas, et cruentae dejectiones eveniunt, accedunt convulsiones, singultus, lipothymiae, livescunt ungues, aeger amittit sensus, venatur muscas, floccosque carpit, extremitates prius frigent, dein totum corpus, ac tandem sequitur mors.

§. 119. Saepe typhus gravior a debilitantibus caussis, ut animi pathematibus, prava diaeta, aëre noxiis paludum effluviis, vel putrefactorum corporum infecto, immodicis evacuationibus, sanguinis profluviis, immoderata venere, etc; sed ut plurimum a principio contagioso nascitur. Crebro explicatur contagium ubi multi homines, praecipue infirmi insimul congeruntur, ut in navibus, carceribus, nosocomiis usuvenit. Facile pro-

pagatur contagium, et hinc febris contagiosa et epidemica evadit. Ab effectibus datum nobis est deducere, typhi gravioris contagium prima actione sua incitandi vim habere, quod non tam frequenter in reliquis nervosis febribus observatur. Verum hujusmodi actio incitans brevissima est, quia cito nervosa symptomata sequuntur, et tam systematum omnium, et vasorum augetur debilitas, destruiturque humorum crasis, ut prompte gangraenae adveniant, et sanguis e naribus effluat.

§. 120. Ex historia patet, quam typhus gravior periculosus sit, et lethalis. Tamen in statuendo praesagio omnia ad examen vocanda sunt symptomata, quorum alia fausta, alia infausta, experientia teste, judicantur, ut §. 116. breviter innuimus. Praeterea inquirendum est, an morbus sit simplex, vel cum aliis affectibus complicatus. Complicatio enim cum variis diathesibus, nimirum inflammatoria, gastrica, rheumatica, arthritica, scorbutica, scrophulosa, carcinoma-

tica, venerea, semper auget periculum. Cum hujusmodi complicationes contingant, diatheseos typhodeos symptomata cum illis alterius diatheseos conjuncta cernuntur, unde majus nascitur discrimen. Denique explorandum est, an recta curandi methodus minuat morbum, ad bonam crisim disponat, aut irrita evadat. Nam in primo casu salutem, in altero mortem praevidere possumus. Saepe sectiones cadaverum inflammationes meningum, faucium, pulmonum, aliorumque viscerum; serosorum humorum effusiones in cavitatibus; maculas gangraenosas in intestinis, et ventriculo, ac in eisdem visceribus vermina nobis offerunt. Qui ex hoc morbo assurgunt, diuturnam debilitatem, praecipue nervosi systematis patiuntur.

§. 121. Quoniam primo aggressu contagium incitat, methodus antiphlogistica idonea videtur. Haec vero caute adhibenda est; nam cito, ut monuimus, sequitur debilitas, prodeuntque nervosa symptomata. Quapropter si non adsit in-

flammatoriae diatheseos complicatio , raro vena secanda est . Ubi autem venae sectio conveniat , haec sub morbi initium fiat . Localis sanguinis missio , in primis prope partem magis affectam , tutior quidem erit . In ipso morbi exordio aut emeticum , aut eccoprotica locum habent , praecipue si adsint gastricarum saburrarum indicia . Primis diebus ad mitigandum calorem , et febrilem impetum summopere a quibusdam immersiones , et ablutiones frigidae laudantur , dummodo vero nulla sit partium inflammatio . Ut autem mitescat sitis , frigidae potiones aqueae cum succo malorum aureorum ; vel citrorum , vel cum acidis mineralibus , praesertim acido sulphurico dentur. In progressu morbi dum virium debilitas, et nervosa symptomata augentur , sinapismatum , et vesicantium applicatio expedit , modo humores dissoluti non sint . Ut autem roborentur vires , nervorum turbae refraenentur , et discrasiae progressus impediatur , antiseptica , cardiaca , antispasmodica juvant , ut acida , prae-

sertim mineralia, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, cortex peruvianus, camphora, moschus, castoreum, vinum, etc. Aër servetur purus, et frigidiusculus, ac saepe renovetur. Pro victu juscula sufficiunt.

§. 122. Ad febres typhicas febris flava pertinere mihi videtur, inter tropicos frequens, ac saepissime contagiosa, quae a Sauvagesio typhus icterodes, a Cullenio typhus cum flavedine cutis nuncupatur. Multi vero potius ad alias febres, quam ad typhicas febrem flavam spectare arbitrantur, ut Pinckard, qui in ea majorem gradum febris biliosae remittentis, sub calidis climatibus familiaris, cernit; Fordyce, qui autumat, eam non esse continuam, sed irregularem potius febrem semitertianam; Mosoley causonem veterum esse contendens. Verum pleraque symptomata nervosa sunt, quae ab actione contagii in nervos producuntur; quamvis idem contagium in alias solidas partes, et viscera agit, et inflammationes parit, ac immiscetur humoribus,

et bili, quam praecipue dissolvit, et corrumpit. Robertus Thomas, ut febris flavae a typho differentia constet, varia adducit argumenta, nimirum aestate, aut paullo post, illa explicatur, cum typhus extinguitur; aut vanescit hieme, cum extricatur typhus; invadit juvenes, et robustiores, quibus parcit typhus; in initio plus quam typhus incitat vires; sociatur symptomatibus diversae naturae; in remittentem et intermittentem commutatur, quod non observatur in typho. Ad singula vero haec argumenta ita respondemus. 1. Varia coeli temperatura efficit, ut contagia quamvis eadem, aut parum diversa, varios producant effectus. Fieri etiam potest, quod sub temperaturae varietate diversa evolvantur contagia, quae nisi in majori, vel minori efficacia non differant. 2. Pro variis contagiorum modificationibus, variisque caussis praedisponentibus, modo robustiores, modo debiliores infestantur. Etiam in constitutionibus epidemicis typhi gravioris interdum observatum est, magis juvenes, et robu-

stos, quam senes, et debiles morbo implicari. 3. Typhus gravior etiam in initio incitat vires. 4. Diversitas symptomatum in febribus typhicis quoque deprehenditur. Haec autem diversitas a vario gradu actionis contagii, aut a varia ejus modificatione pendet. Contagium febris flavae maximam habere videtur cum bile affinitatem, unde ejus dissolutio, aurigo, vomitus, aliaque symptomata nascuntur. 5. Interdum diathesis periodica praevalet, et hinc febris flava in remittentem, vel intermittentem abit. Hoc saepe accidit, quia hujusmodi febris aestivo tempore in locis grassatur, ubi febres periodicae, praecipue intermittentes, epidemice regnant. Persuasum itaque nobis est, febrem flavam tropicam ad febres typhicas pertinere.

§. 123. Qui inter tropicos ad explorandam febrem flavam animum impulerunt, duplicem ejus formam statuere, scilicet benignam neutiquam contagiosam, ac aestivo tempore udis et paludosis regionibus familiarem, et malignam seu

graviorem , ut fuit quae per naves mercatorias in oras Europae maritimas pluries adsportabatur , et anno 1804. Ligurnum portum et Hetruriam , ac transactis annis Gades , et Hispalin advehebatur . Hujusmodi formae nisi quoad intensitatis gradum non discrepant . Modo antecedunt febrem prodroma signa , ut lassitudo , inappetentia , capitis gravitas , inertiae sensus , ad vomitum propensio , modo deficiunt . Orditur febris horroribus , quos sequitur intensus calor , horripilationibus interdum interruptus ; tempora pulsant ; urget sitis ; facies et oculi rubent ; in praecordiis doloris , et ponderis sensus molestat ; dorsus et lumbi dolent ; lingua prius materie lutea , deinde nigra tegitur ; irregularis est perspiratio , pulsus duriusculus et plenus ; urina colorata , pauca , turbida ; alvus aut stipata , aut soluta , et materies biliosas dejiciens ; aeger fit vertiginosus , delirans , et tam acutum stomachi , et praecordiorum sensum patitur , ut non solum bilem , sed quidquid deglutit prompte evomat . Haec

prima febris |periodus ad tertiam circa diem extenditur ; postea tam decedit febris , ut aeger bene se habere credat , è lecto surgat , cibosque sumat ; quamvis supersint lassitudo , horrores , pulsus debiles , urina turbida . Paullo vero post rursus exasperatur febris , et omnia symptomata graviora , et patentiora fiunt. Dum extrema frigent , viscera sub epigastrio posita urunt ; oculi evadunt lutei , et deinde aurigo per totum corpus diffunditur ; augetur vomitus non solum materiei biliosae , sed atrae picis instar ; livescit facies . Denique increscit debilitas , et signa comparent universalis dyscrasiae; erumpunt maculae lividae , gangraenosae , vibices , anthraces , parotides ; lingua sicca evadit et nigra ; dentes atro glutine conspurcantur ; spiritus foetet ; olentissimae sunt dejectiones alvinae ; exilit sanguis è naribus , ore , auribus ; accedunt convulsiones , singultus , tendinum subsultus , sudor frigidus , exilitas pulsuum , delirium , coma , extremarum partium algor , proindeque mors . Haec sunt com-

munia morbi symptomata, tamen summa est eorum varietas, ut in historiis a Chisholme, Rush, aliisque traditis videre est. Cum febris flava gravior sit, absque signis prodromis corripit, et omnia ab initio graviora sunt, et lethalia.

§. 124. Inter symptomata hujusce morbi praecipue animadvertendus est vomitus ater. Diversae admodum sunt auctorum opiniones circa ejectae materiei naturam. Credidit Fordyce eam in stomacho, et forsan in duodeno, atque etiam in jejuno congeri, speciemque habere materiei, quae in violentis febribus linguam tegit. Interdum rejecto humori immiscetur bilis, cujus secretio sub vomitus conatibus augetur, atque in stomachum ascendit. Bancrost arbitrabatur, nigrum laticem vomitu remissum esse sanguinem ab arteriolis effusum post partialem villosae membranae suppurationem, qui sub aspectu materiei sanguineae conspissatae, et a succo gastrico, vel ab aliqua decompositione chemica aut spontanea, vel ab actione aëris, vel ab alia substantia in ven-

triculo collecta nigrae redditae, se observantibus offert. Alii vomitum nigrum a putrida bile; alii a sanguinis et bilis mixtione; alii a villosa tunica prius inflammata, mox sphacelo soluta; alii a bile cum acido septico juncta constitui contendunt. Cathrall vero ab examine materiei rejectae perturbatam esse hepatis secretionem deduxit. In illa experimentis comperit aquam partibus resinosis et mucilagineis imbutam, et acidum muriaticum praevalens. Perspexit etiam, eam partibus humani corporis applicitam aut nihil aut parum agere; in ventriculum et intestina quadrupedium, aliorumque animalium inditam nec digestionem, nec eorum sanitatem laedere; aërem atmosphericum ejus vaporibus perfusum, etiam sub aptioribus rebus circumstantibus, febrem non inducere. Ex quibus infert, materiem vomitus esse inertem, et mortem non ab ejus deletrici actione, sed a maxima debilitate, in quam aegri prius conjiciuntur, effici. Quidquid autem sit de hujusce rejecti laticis natura, certum

est, quod, instante ultimo morbi stadio, plura cum vomitu nigro sphaceli interni signa adjunguntur, ut singultus, lipothymiae, vibices, maculae gangraenosae, unde salus desperanda est.

§. 125. Etiam quoad febris flavae originem auctores non conveniunt, pluresque sunt, qui hujus morbi contagium negant. Horum vero doctrinam Fellowes confutavit. Enim vero licet ab aestu aëris humido, a putrefactione animalium, et vegetabilium, ab aëre miasmatibus palustribus contaminato interdum febris flava oriri possit, expedite tamen, maxime sub quibusdam conditionibus, contagiosa evadit, ut observavit Thomas, qui ab anno 1776. ad 1785. in Indiis occidentalibus vitam egit. Nos igitur cum plerisque contagium sicut praecipuam caussam admittimus, quod per humida, et palustria loca sub ardenti aestivo calore vim pestilentem subinde adipiscitur. Ut caetera contagia, solida, et fluida depravat, specialesque viscerum et partium affectus infert. A speciali itaque ejus actione in-

flammationes viscerum capitis, pectoris, abdominis, frequentius ventriculi, intestinorum, hepatis suscitantur, ac immutatur secretio bilis, quae vitiatur, dissolviturque. Ex hac forte depravatione biliosi vomitus, et ictericus color ortum habent. Ejusmodi vero specialis contagii actio constans quidem non est; nam saepe desunt symptomata perturbatam bilis secretionem denotantia, nec semper sectione cadaverum inflammatum hepar adinvenitur. Contagium adhaeret fomitibus, et per merces, praecipue gossypinas, et laneas propagatur. Observandum est, quod in regionibus tropicis ad contrahendam contagionem Europei sunt procliviores, in primis qui saepe numero agunt convivia, venere abutuntur, et post diuturnos labores nocturno frigori exponuntur; dum indigenae graviori et maligna morbi forma immunes sunt. Animadvertit Kittrich, illorum corpora calore trium, vel quatuor graduum illa indigenarum superare; unde majorem ad morbum proclivitatem advenarum dedu-

cit. Eamdem opportunitatem habent indigenae, si in tropicas terras post longa itinera reducantur, ut Jackson, aliique affirmant. Tandem foeminae minus hominibus, teneri infantes minus illis hac febre corripi solent.

§. 126. Aetas, temperamentum, symptomata contemplanda sunt, ut instituatur prognosis. Periculosior est juvenilis aetas, et temperies plethorica, quia tum febris sub maligna forma plerumque evolvitur. Symptomata autem, ut in nostratibus typhis, aut mortem, aut salutem indicant. Ex primis sunt summa virium dejectio, pulsus debilis, abnormis, cutis ariditas cum aurigine, convulsiones, suspiria, vomitus ater, lipothymiae, paucae stillae sanguinis e naribus defluentes, facies tristis, dejectiones per alvum et urinae atrae foetidissimae, vibices, petechiae, etc. Ex secundis sunt pulsus validus, et mollis, perspiratio libera, cutis mador die septima cum symptomatum levamine, praesertim doloris capitis, eruptio cutanea, in regionibus tropicis calor

pruriens vocata, copiosus sanguinis fluxus è naribus, abundantes et coloratae urinae, somnus quietus, et reficiens. Tamen symptomatibus omnino fidendum non est. Interdum enim, ut animadvertit Thomas, dum morbus sub benigna forma comparet, improviso symptomata ingravescunt, et aegri brevi moriuntur.

§. 127. Qui secuerunt cadavera, plura in partibus, et visceribus capitis, pectoris, et abdominis notatu digna retulerunt. Cum aliqua affectio capitis praecipuum esset symptoma, inflammata tegumenta, vasa durae, et piae meningis sanguine turgentia, cerebrum quoad volumen subinde auctum, subinde ejus substantia naturali statu tenacior, apparuerunt. Cum autem inter symptomata esset dolor pectoris punctorius, internus ardor, tussis, vestigia inflammationis pulmonum conspiciebantur. Saepius vero inflammationis signa in ventriculo, intestinis, hepate reperta sunt. Haec enim viscera sphacelo corrupta, maculis atris conspersa, et sanie exesa cernuntur. Aliquando intima

membrana oesophagi, ventriculi, intestinorum huc illuc corrosa se ostendit. Aliquando observatum fuit hepar valde imminutum, flaccidum, subnigrum; cystifellea etiam flaccescens, cineracea cum exigua bilis quantitate. Dum autem prodiverit vomitus ater, saepe hujusmodi cystis, et ductus biliares eadem materie vomitus nigra, picea, spissa distendebantur. Tamen interdum, etsi rejiciebatur materies atra, et corporis superficies aurigine suffundebatur, hepar, cystifellea, et ductus biliares illaesi conspecti sunt. Subinde vesicam urinariam crassescere, et copiosa urina distendi; omentum esse flavo-viride; intestina, et ventriculum vermibus, impuris materiebus, et humoribus atris scatere spectatum est.

§. 128. Ut quoad febris flavae originem, sic quoad ejus curationem valde differunt scriptorum opiniones. Alii enim antiphlogisticam methodum, alii incitantem, alii in primo morbi stadio antiphlogisticam, in secundo incitantem celebrant. Si vero animadvertatur, quod ab initio

morbus subinde indolem inflammatoriam praeseferat, et cum partialibus viscerum inflammationibus complicetur, quod a pulsibus, virium robore, et symptomatis inflammatoriis detegitur; subinde summa virium debilitate incipiat, et signa humorum dyscrasiae compareant, nullo negotio deducitur, in primo casu antiphlogisticam curationem, scilicet sanguinis missionem, interdum repetendam, lenia purgantia, diaetam rigidam; in altero remedia incitantia expedire. Unanimiter autem damnantur emetica, utpote quae ventriculi irritationem, et dispositionem ad vomendum augent, quam saepe compescere necesse est. Purgantia mitia utilia sunt, quia auferunt impuras, et irritantes materies, quibus intestina replentur. Inter haec mercurialia summopere laudantur. Plures sunt, qui usque ad salivationem internum, et externum mercurii usum commendant, siquidem ut valentissimum ad inflammationes hepatis remedium habetur. Hi vero, si molestet vomitus, frictiones dumtaxat mercuriales

adhibent. Internus mercurii usus fieri debet in primo morbi stadio; secus, dum scilicet graviora fiunt symptomata, afferret damnum, ut testatur Currie. Externus vero usus in quacumque periodo convenit, dummodo extrema caleant, et vasa absorbendi vi adhuc polleant. In variis partibus frictiones mercuriales institui possunt, ut regione hepatis, si signa sanguinis affluxum ad hoc viscus ostendant, aut interna parte coxarum, crurum, brachiorum. Hujusmodi frictiones in regione hepatis factae utiles videntur, propter stimulantem, et deobstruentem mercurii vim. Saepe enim hepar aut sanguine, aut bile turget, aut hujus secretio non absolvitur. Praeterea in initio morbi affusiones, et immersiones frigidae, ac potiones frigidissimae praedicantur, quarum ope obtunditur contagii vis, quae solidorum irritationem, et humorum dissolutionem inducit. Si vero maxima sit debilitas, et humorum solutio ab ipso principio morbi, alia quidem remedia usurpari debent, ut cortex peruvianus, aci-

da vegetabilia, et mineralia, camphora, cardinea, aether, moschus, opiata, epispastica, etc. Sollicite a quibusdam vesicans regioni epigastricae applicatur, ubi magna est ventriculi irritabilitas, et molestus vomitus; ab alii largum sinapisma eidem regioni apponitur, quod molestam inflammationem pariat. Inexperientiae caussa asserere non possumus, an hujusmodi remedia juvent. Ex dictis vero evidenter patet, variam hujusce morbi curationem esse debere, prout ejus forma, et symptomata varia sunt.

§. 129. Antequam febrium nervosarum curationi imponamus finem, aliquid de praecipuorum remediorum usu, et symptomatum medela dicendum est. Quapropter dum ob spasmodicos affectus, nervorumque turbas necessaria videntur antispasmodica remedia, sedulo eligantur, quae regioni, temperamento, sexui, et aetati congruant. In calidis ex. gr. regionibus fugienda sunt nimis volatilia, et incitantia, quae melius in frigidis tolerantur: Sic utilis non est camphora pro

sensibilioribus hominibus, et foeminis hystericis, quae ab ea exagitantur, excalefiunt, et praemature sudoribus perfunduntur. Saepe cortex peruvianus, ejusque praeparationes, valeriana sylvestris, polygala, arnica versus morbi finem utiliter usurpantur; sed eorum usus exitiosus foret, si inflammatoria diathesis, aut viscerum inflammationes adsint. Ut distinguatur quando frigidae, vel tepidae potiones praestent, quae sit aegri temperies, consuetudo, morbi indoles, anni tempestas spectandum est. Conveniunt enim frigidae, si tempus calidius sit, ardor febrilis vigeat, temperamentum biliosum sit, et sanguis solutus, quibus acida vegetabilia, et fossilia cum emolumento adduntur. Tepidae autem juvant, si pulsus debiles sint, et summus virium vitalium languor; nam frigidae, et acidae potiones calorem jam exiguum, et irritabilitatem fibrarum absumerent. Ut languori, viribusque fatiscentibus consulatur, cardiaca, et in primis vinum generosum adhiberi solet. Haec vero non con-

veniunt, si febris intensa, sitis magna, lingua sicca, et nigra, aegri temperies sanguinea, et biliosa sit. Observavit Riverius anno 1623. insaeviente Monspelii purpurata febre, quam utile sit merum, ubi pulsus sunt parum frequentes, naturalibus fere similes, lingua humida, nulla sitis; ex adverso quam damnosum, si febris sit vehemens, sitis ingens, lingua sicca, scabra, nigra. Hisce urgentibus symptomatibus, refrigerantes potiones, et acidulas praecipiebat.

§. 130. Ex multiplicibus nervosarum febrium symptomatis nonnulla saepe sunt peculiari animadversione digna, aptisque remediis refraenanda. Si ex. gr. premat capitis dolor, vigilia, delirium, perquirendum est, quae sit horum symptomatum origo. Si enim a spastica nervorum affectione proveniant, anodyna, antispasmodica, opiata, et opium ipsum expediunt; si a nimio sanguinis, humorumque affluxu ad caput, revellentia, et derivantia locum habent, ut hirudines sive haemorrhoidalibus vasibus, sive tempo-

ribus , sive post aures applicitae ; cucurbitulae siccae , vel scarificatae inferioribus extremitatibus , dorso , scapulis , vel occipiti admotae ; vesicatoria vel brachiis, vel femoribus , vel pone aures , vel occipiti apposita . Aliquando vomitus tam praeceps corripit , ut vix assumpta reddantur ; aliquando immodicus alvi fluxus funditus pessundat vires . Primus antiemetico Riverii , et opiatis ; alter theriaca , diascordio , extracto corticis peruviani cum vino rubro comprimendus est , quamvis ne includatur venenum non prorsus cohiberi debeat . Plures sunt clinici , qui perniciosum ventris fluxum medicamentis diaphoreticis refraenatum fuisse testantur . Si sudores nimis profusi , et colliquativi manent , rubro et generoso vino , aut tinctura Huxhamii cum aliquot elixirii vitrioli guttis compescantur . Si sanguis ita tenuis sit , et solutus , ut inde nimiae haemorrhagiae consequantur, nec non peticularum nigrarum eruptiones , et gangraenae , efficacia reperiuntur acida mineralia , alumen , decoctum ,

aut extractum corticis peruviani, vinum rubrum, alexipharmaca. Optimum vero consilium est, acidis mineralibus roborantia, et aromatica jungere, ne a morbo, et actione acidorum fibrarum irritabilitas protinus extinguatur. Saepe in ore, et circa fauces prodeunt aphthae, quae ablutionibus, et gargarismatibus curandae sunt. Componuntur gargarismata ex aqua hordei cum melle rosaceo, et syrupo de moris, cui interdum aliquid spiritus salis, aut sulphuris adjiciendum est, praecipue si aphthae nigrae et gangraenosae sint. Dum vero dolent, lac tepidum, aut decoctum hordei retineatur in ore. Demulcentia etiam sensim deglutita juvant, ut mucilago seminum emollientium, syrupus de cydoniis, de succo granatorum, de rubo idaeo, etc. Si in decursu morbi parotides superveniant, in primis examinandum est, an criticae, vel symptomaticae sint. Primae ab imminutione morbi, et symptomatum; alterae ab augmento dignoscuntur. In criticis noxiae materiei exitus; in symptomaticis lenis

resolutio tentanda est. Si resolventia, emollientia, anodyna ad hanc consequendam non sufficiant, instituatur venae sectio, praesertim si tumor crescat, rubeat, doleat. Galenus de compos. medic. secundum loca lib. 3. cap. 2. pro venae sectione celebranda plethoram, et vires efflagitat. Experientia vero constitit, etiam in defectu virium sanguinis missionem subinde juvasse, praecipue si parotides vel propter morbi propagationem, vel propter spasmum symptomatice exoriantur. Definienda autem non est sanguinis detrahendi quantitas, sed si deficiant vires, prima vice haec ad aliquot uncias, nimirum ad duas, vel tres ascendat. Si ab exigua hac quantitate pulsus validior fiat, rursus post paucas horas secetur vena. Riverius in truculenta febre, quae anno 1623. epidemice Monspelii grassata est, si parotides superveniebant, exiguis repetitis venae sectionibus, instituta postero die purgatione, servavit omnes. Tamen si sanguinis missio anceps sit, hirudines potius prope tumorem applicentur. Secata

autem vena, tam internis, quam externis medicamentis resolutio sollicitanda est. Subinde parotides lente dissipantur, et nocua materies excernitur; subinde improviso abiguntur, nec materies expellitur. Siquidem in hoc casu imminens est vitae discrimen, prompte revocentur, et inimica materies cantharidum ope, si fieri potest, è corpore propulsetur.

§. 131. Hac simplicitate medendi non raro affertur salus. Nunquam autem ingenium, et origines nervosarum febrium percontari negligatur, et firmiter memoriae mandentur, quae Sydenhamius lib. de morbis endemiis ita scripta reliquit. – In tam spissa hac rerum caligine nil mihi prius est, quam quando novae febres grassari incipiunt, cunctari paulisper, et ad magna remedia, non nisi tardius procedere, diligenter interim illarum ingenium, et mores observare, quibus itidem praesidiorum generibus aegris juventur, vel laedantur, ut quam primum his repudiatis, illis utamur. -- Diligenter praeterea servetur aër temperatus et purus,

ac nobis maxime cura sit, ne dilatetur contagium. Aegroti igitur separentur a sanis, accurata sit corporum, indusiorum, cubiculorum mundities, removeatur ignis, et per conclave calidum aspergatur acetum. Qui aegrotis adsunt, ne absorbeant ab ipsis transmissi halitus, sedulo curent. Saepe vero ad impediendam contagii propagationem haec non sufficiunt. Tum infecta loca, vestes, et res contagiosis vaporibus imbutas, acidis fossilibus suffire necesse est. Acidum itaque nitricum ad mentem Smyth, aut muriaticum ad mentem Guyton Morveau adhibere non omittatur. Primus decomposuit nitrum acido sulphurico excalefacto; hinc ponatur dimidia uncia hujusce acidi in aliquo vase terreo, aut cyatho, ut super calidam arenam excalefiat, cui ex intervallo additur nitrum. Hoc modo suffitus volatiles, penetrantes obtinentur, qui nec ingratum odorem emittunt, nec respirationem laedunt. Alter credidit, acidum muriaticum efficacius esse, quia magis diffusile est. Dum hoc uti velimus, ponatur in vase

terreo libra una salis communis, quod identidem exigua quantitate acidi sulphurici aspergatur, donec humectetur. Quo vero major vaporum quantitas extricetur, actioni levis caloris exponatur vas. Efficaciora autem erunt suffimenta, si duae partes manganesii in pulverem redacti, totidemque salis communis, tres partes acidi sulphurici, et una aquae adhibeantur. Hisce quidem suffimentis, et diligentiis supra expositis non omissis, contagionis extinctionem assequi possumus.

SPECIES TERTIA

Synochus

§. 132. Synochus est febris duarum, vel trium hebdomadarum ex synocha, et typho composita; siquidem initio a synocha, progressu, et versus finem a typho non differt. Improprie veteres hanc febrem synochum putrem vacaverunt. Haud ita pridem circa commentitiam sanguinis, humorumque putrescentiam disceptatum

est, scilicet an haec sit vera, et totalis humorum resolutio, aut eorum degeneratio simplex. Si vero veterum scripta petantur, nullo negotio elicitur, quod a plerisque putredinis nomine humorum degeneratio exprimebatur, qualis in febribus ortis ab angina, pleuritide, aliisque inflammationibus observari solet. Et re quidem vera inquit Galenus de febr. differ. lib. 1. cap. 7., putredinem in vasis esse illius similem, quae in inflammationibus, abscessibus, aliisque phymatis notatur, et variam esse juxta humoris putrescentis naturam, et majorem vel minorem eum concoquendi facultatem. Cognoscebant enim plerique, in viventibus animalibus locum non habere putrescentiam, ac mortem sequi, si in quibusdam febribus mali moris subinde eveniat; sed humores a naturalibus conditionibus recedere, sicut ob circulationis impetum et aestum in synocho contingit, ubi potius illi ad putrescendum proclivitatem acquirunt, ut ex urinis, alvi dejectionibus, sudoribus odorem foetidissimum emanantibus aliquo

modo deducitur. Ex his igitur patet, non ab omnibus synochum a corruptela sanguinis, sed ab ejus spissitudine, et inflammatoria densitate vocatam fuisse putrem. Sanguis enim, si extrahatur, firmus est, et tenaci crusta obductus, quod in corruptis et dissolutis humoribus minime cernitur, qui saepe per nares, renes, uterum, aliasque vias effluunt, ut in febribus pravae indolis usuvenit.

§. 133. Synochus a caussis synochae, sed validioribus, et ab illis typhi, et nonnunquam a contagio nascitur. Corripit praecipue juvenes, hominesque sanguinea temperie donatos. In his enim, si caussa occasionalis accedat, facile accenditur, ut nimius motus, vini generosi potationes, etc. Frequenter in caussa sunt sanguinis abundantia, spissitudo, et humorum lentescentia, quia sanguis aegre per vasa means circulationi impedimentum offert, proindeque insensibilis perspiratio retinetur, et quod secundum naturae leges è corpore abire debet iterum absorbetur. Inquit Boerhaavius §. 730.

hanc febrem acutiori acrimoniae deberi, et saepe prorsus singulari. Revera si in humoribus immutatio generetur, aut intromittantur contagia, synochum oriri experientia confirmat. Quidquid igitur sanguinis circuitum concitat, ejusque crasim immutat, ac naturales humorum conditiones depravat, inter caussas hujusce febris adnumerandum est.

§. 134. Partitio synochi in sanguineam, et biliosam antiquissima quidem est. Veteres enim in sanguine quatuor discernebant partes, nimirum quae temperatior est, sanguis proprie dicta; quae calidior, bilis nuncupata; quae crudior et frigidior, pituitae nomine distincta; quae densior et faeculentior, melancholia vocata. Ubi prima pars abundat; vel, ut ipsi inquiebant, putrescit, synochus sanguinea; ubi vero pars altera tenuior et calidior reliquis est copiosior, et putredine vitiata, biliosa nasci credebatur. Verum quin animum ideis tam obsoletis adjiciamus, eamdem tamen partitionem servabimus. Alia enim est synochus, quae ju-

venes, et homines sanguinea temperie praeditos; alia est, quae biliosos, et aestivo tempore immodice sese exercentes corripit. Prima dici debet sanguinea, altera biliosa. Aliae autem differentiae non ad primariam, sed ad secundariam, et symptomaticam synochum spectant, ut est illa, quae a scorbuto, vel a scabie proficiscitur.

§. 135. Synochus frigore et horrore incipit; sequitur calor mordax; pulsus est frequens, magnus, durus, inaequalis; respiratio crebra, magna, difficilis, suspiriosa; urinae crassae, rubrae, turbidae, sine sedimento, aut hoc albescente, si morbus ad declinationem vergat. Dum febris ascendit, et ad statum pervenit, alia ingravescunt symptomata, ut dolor capitis, vigilia, somnolentia, leve delirium, muscularium motuum difficultas, debilitas magna, corporis jactatio, supinus cubatus, et caetera, quae morbum ampliorem factum testantur. Si synochus sanguinea sit, a pulsu pleno et frequenti, gravi dolore capitis, somno,

delirio, facie turgida et rubicunda, siti, linguae siccitate, artuum debilitate, aliisque symptomatibus distinguitur; quae saepe a sanguine in unam aliamve partem irruente, et inflammatorios infarctus advehente nascuntur. Haec ad decimam quartam, aut ad vigesimam primam diem progreditur: Si vero biliosa sit, calore mordaci et urente, pulsu frequenti, ingenti siti, lingua sicca et nigra, nausea, vomitibus biliosis, et pervigilio discernitur. Intra septem, aut quatuordecim dierum spatium absolvit cursum. Inter praecipua signa, quae synochos putres ab imputribus distinguunt, calor mordax est. Licet enim primo attactu levis appareat, paullatim pungens deprehenditur, qui, ut inquit Galenus de febr. differ. lib. 1. cap. 9., quasi de profundo emergit. In aliis vero febribus, si tangatur aegrotus, calor quidem urere videtur, sed si in attactu perseveretur, sensim hunc minorem animadvertimus. Praeterea pulsus in synocho est inaequalis, et inordinatus, dum in synocha est fortis,

aequalis, et quoad celeritatem parum sanorum pulsum excedens. Libere enim sanguis nimis spissus in vasorum extrema non circulat, et facit, ut aequaliter circulatio non expediatur: aut aliquis insuetus stimulus ita nervos urget, vel debilitat, ut inde gravia symptomata oriantur, et pulsus debilis, inaequalis, et inordinatus evadat.

§. 136. Synochus morbus anceps est, sed non semper idem adducit discrimen. Cum enim benigna et pura sit, recte procedat curatio, bonaque adsint signa, die septima, decima quarta, aut tardidius aeger ad sanitatem restituitur. Quapropter si vires non deficiant, benigna sit morbi indoles, naturae molimen non pervertatur, nec tam functiones laedantur, morbum propere solutum iri sperandum est. Ex adverso si pravae naturae sit morbus, aliisque affectibus complicatus, vires langueant, functiones praetermodum perturbentur, vita aegrotantium in dubio est. Quo autem graviora, et constantiora sunt symptomata, eo pericu-

losior et lethalior morbus est . Gravia symptomata sunt pulsus debilis , inaequalis , intermittens ; respiratio difficilis , anhelosa , inordinata ; somnus perturbatus , profundus ; vigilia ; delirium ; virium infirmitas ; assidua corporis jactatio ; supinitas cum membrorum extensione ; hypochondriorum tensio ; oculi tristes , involuntario lacrymantes , lumen fugientes ; affectiones spasticae ; urinae albae ; etc. Sicut enim pulsus fortis bonum , ita debilis , virium defectum praecipue ostendens , malum signum est. Ejus inaequalitas et intermittentia , dummodo a criticis perturbationibus non pendeat , suo munere cor non amplius fungi demonstrat, ut in moribundis usuvenit . Sic ut bona respiratio , ejus organa bene se habere testatur , et ex dextro corde per pulmonem absque ullo impedimento sanguinem transire , ita respiratio difficilis , anhelosa , inordinata contrarium denotat , ideoque ab Hippocrate in acutis morbis damnata . Somnus levis reficit vires , et ad morbi solutionem conducit ; profundus vero et

inquietus nullum levamen affert. Inquit Hippocrates aph. 63. sect. 4. - Quo in morbo somnus laborem facit, lethale, si vero juvet somnus non lethale. - Irritatio communis sensorii obstat, ne leniter somnus repat, quae si protrahatur, augeaturque, delirium, et convulsiones consequuntur. Nimia virium debilitas timere facit, ne a morbo superetur natura. Inter reliqua pessimum indicium est corporis jactatio, quae a summa anxietate provenit, cujus aliquam levationem aegroti mutatione situs inveniunt. Mala est supinitas cum membrorum extensione, praesertim continua, ut in cadavere, quippe quae virium resolutionem indicat. Quoad hypochondriorum tensionem omnia observavit Hippocrates, ut vel ad mortem, vel ad salutem praesagia hauriret. Inquit enim in prognost. - Tumor autem durus et dolens in hypochondrio pessimus quidem, si totum hypochondrium occupaverit: si vero in altera tantum parte fuerit, minus periculosus, qui in sinistra. Verum significant tales tumores in initio quidem, pe-

riculum esse mortis brevi futurae; si verò febris vigesimum diem superet, nec tumor interea subsidat, in suppurationem vertitur. – Tamen tensionem hypochondriorum in initio morbi tam dextrum, quam sinixtrum latus occupantem, si sine dolore et inflammatione sit, tamquam narium futurae haemorrhagiae signum habuit. Minus autem periculosi sunt tumores flatulenti, qui molles sunt, et pressioni parent. Tumores etiam in hisce febribus ex evoluto aëre nascuntur, cui non amplius ventriculus et intestina obsistunt, unde saepe maxime attolluntur, quod in moribundis observatur, sicut divinus praeceptor aph. 19. sect. 8. adnotat. Idem ex oculorum observatione multa ominabatur. Etenim ut bonum signum oculorum nitorem sic malum oculorum alteratum nitorem, squalorem, atque tristitiam judicavit. Dixit in prognost. sent. 10. - Si oculi pervertantur, aut alter altero minor sit, vel alba fuerint rubra, aut livida, vel venulae nigrae in illis sint, aut sordes circa oculos appareant, aut sublimiores,

vel prominentes oculi, vel admodum cavi facti, vel supercilia curva, aut rigida maculosa, aut visus squalidus, et sine splendore etc. -- Lacrymae involuntariae, quae ut in moribundis ex oculis manant, malum portendunt omen. Excipiendae vero sunt involuntariae lacrymae, quae criticam narium haemorrhagiam praenunciant, aliisque periculosis symptomatis non adjunguntur; ut 1. Epidem. monet Hippocrates. Cum oculi lumen refugiant, quod in prognost. sentent. 10. notavit praeceptor, et spasticae affectiones affligant, magnam et periculosam communis sensorii affectionem adesse deducitur. Alba secernitur urina, si adhuc materies crudae sint, et gravissima symptomata comitentur febres. Quum tardi sunt naturae motus, et nulla appareant proximae criseos signa, facies aegroti sicut sphera turgida, morbi longitudinem indicant. Si synochus biliosa sit, sudoribus, alvinis dejectionibus biliosis, vel vomitu plerumque solvitur.

§. 137. Natura inflammatoria synochi, circulationis vehementia tantam sanguinis detractionem exposcunt, quanta aetati, temperamento aegrotantium, morbique conditionibus convenit. Praeterea refrigerantia, diluentia, clysmata utilia sunt. Deinde quia propter virium infirmitatem graviora, et anomala symptomata prodeant, in usum vocanda sunt, quae incitandi vim habent, viresque delapsas erigunt, ut camphora, scordium, angelica, et alia similia. Purgantia non expediunt, nisi in primis viis materia turgeat, aut materies morbifica jam correcta cunctanter, vel minime de corpore eliminetur. Si synochus biliosa sit, caute venae sectiones instituantur. Pro ejus curatione emulsiones, potiones nitrosae, acidulae ex succo mali medici, aut spiritu vitrioli in multa aqua diluto juvant. Purgantia sint levia et antiphlogistica, ut pulpa cassiae, tamarindorum, manna. Injiciantur clysmata refrigerantia, ut febris calor, et impetus mitigetur. Aër frigidiusculus sit, et liber; aeger non multis operimentis, nec

gravibus, sed mollibus, levibusque tegatur. Caput elevatum sit, ne ad hoc nimio impetu sanguis feratur. Victus tenuis, ut juscula carnium, quae tertia, vel quarta quaque hora concedantur. Aestivo tempore parari possunt ex pullo cum refrigerantibus herbis, ut endivia, lactuca, portulaca. Succus limonum jusculis addi potest, praecipue si febris fervida sit. Juxta autem aetatem, sexum, temperiem aegrotantis alia etiam eligantur auxilia, quae magis conducibilia videntur.

SPECIES QUARTA

Febris hectica

§. 138. Febris hectica est diuturna febricula, arida inacie corpora absumens, cujus calor, et exigua frequentia pulsus post pastum increbrescunt. Hanc Graeci, et Latini aut diuturnam, aut tabidam, aut marasmum vocarunt. Fuit etiam habitualis febris nuncupata, utpote quae καθ ἕξιν, scilicet in corporis habitu, seu solidis parti-

bus inhaerens credebatur. Celsus lib. 3. cap. 9. eam vocavit lentam. Hoffmannus autem lentas febres et hecticas inter se differre putavit. Nam ex ejus dictis eruitur, febres, quas vocat lentas esse hecticas primarias; hecticas vero esse symptomaticas, quae pulmonum, hepatis, caeterorumque viscerum vitiis, abscessibus, ulcerationibus superveniunt.

§. 139. Hectica febris in primariam dividitur, quae ultro nascitur, in secundariam, quae alium morbum excipit, in symptomaticam ,quae a praesente aliquo morbo, ut effectus, producitur. Primaria rarissima est, sed non imaginaria, ut nonnullis videtur. Male argumentantur, qui eam propulsant, ut pote ab ipsis non observata. Contra hos Galeni, aliorumque auctoritas adest; nihilque adduci potest, quod spontaneam oriri non posse comprobet. Qui hecticam primariam perlustrarunt, hanc propriis signis descripserunt, quae hujusmodi sunt. Febris in initio tam mitis est, ut vix aegrotus se febrire sentiat, quod in extrema non accidit pe-

riodo. Sensim peredit macies, et adducit cutem, quae sicca evadit; calor qui primo attactu levis apparet, mox acer, et mordax deprehenditur, praecipue in volis manuum; pulsus celer, frequens, debilis, interdum duriusculus; post unam aut alteram a pastu horam calor, et frequentia pulsus sine horrore, et frigore increscunt. Galenus, aliique posteriores tres gradus in hectica statuerunt. Primus est idem febris initium, in quo vix corpus emacescit, vires non tam delabuntur, calor lenis, qui rite examinatus acer adinvenitur, in primis circa hypochondria manuumque volas; pulsus celer, frequens, duriusculus, urinae naturalibus fere similes. Secundus est febris augmentum, in quo macies progreditur, vires magis languent, caliditas, et ariditas magis conspicua, urina rubicunda sedimentum farinaceum deponens, et substantiam oleosam, aut pelliculam caerulescentem supernatantem praeseferens, ex quibus colliquatio cognoscitur. Tertius denique est febris status et finis, in quo corpus ita tabescit

ut arida pellis ossa contegat, facies est hippocratica, capilli decidunt, oculi fiunt cavi et squalidi, nares acuminatae, praecordia tam contrahuntur, ut extis privari videantur. Praesto etiam saepe sunt sudores colliquativi nocturni, ac dejectiones profusae et foetidae, quae funus sollicitant.

§. 140. Hecticae secundariae, et symptomaticae frequentiores sunt. Hujusmodi febres inaequalibus, et irregularibus exacerbationibus procedunt, et earum paroxysmi, ut amphimerinae, horroribus ineunt. Juxta Sauvagesium tresdecim sunt species inter symptomaticas adnumerandae. Prima *hectica infantilis* charactere carens, quae Cullenio, et Burserio rhachitica, scrophulosa, verminosa, mesenterica, vel aliorum morborum symptoma esse videtur. Secunda *vespertina* vix pro morbo habenda. Tertia *chlorotica*. Quarta *syphilitica*. Quinta *scrophulosa*. Sexta *a calculis*. Septima *hydropum*. Octava *nostalgica*. Nona *verminosa*. Decima *cachectarum*. Undecima *fluxuum*. Duodecima

lymphatica. Decimatertia *nervea*. Duae ultimae species non satis patent, sed primariae non sunt, quoniam amphimerinae videntur.

§. 141. Hecticam primariam a calore praeternaturali in partibus solidis incenso, et in iisdem infixo produci, censebant veteres. Recentiores vario modo opinati sunt, ut unusquisque ab auctoribus colligere potest. Probabile autem videtur, hujusce febris caussam proximam in languore solidarum partium, et in quadam humorum mutatione consistere, qua a statu naturali desciscunt. Hoc quidem caussae remotae suadent. Etenim animi pathemata, studia, labores, exercitationes nimiae, fames, vigiliae, immoderata venus, assiduae deperditiones, excretiones naturales, vel consuetae deficientes, vel praepeditae, liquorum spirituosorum abusus, et alia, quae morbo occasionem praebent, infirmant corpus, humorum crasim immutant, et exercitium functionum, praecipue digestionis, chylificationis, nutritionis, maxime in corpore male affecto, bi-

lioso, calido, sicco, ac sub calido, siccoque coelo depravant.

§. 142. Quamvis febris hectica diuturna semper est, et periculosa, tamen non semper idem portendit discrimen. Itaque ad rectum instituendum praesagium, oportet in primis examinare, an primaria, secundaria, vel symptomatica sit; deinde quae sint caussae, corporis constitutio, aetas, febris gradus, symptomata. Primaria, si mature curetur, ejusque caussae amoveri possint, tam periculosa non est; difficilius secundaria abigitur, praecipue si a diuturnis morbis, et acutis febribus oriatur; symptomatica raro sanabilis est, maxime a viscerum vitio producta. Cum caussae leves sint, ut aliquis in usu rerum non naturalium error, minus aderit periculi; majus, si graviores, nec facile expugnandae. Propitia est bona corporis constitutio; serosa, et humida melior, quam biliosa, calida, sicca. Juvenes bene habiti promptius, quam adulti, et male affecti evadunt. Senes rarissime ad sanitatem veniunt. Quoad hecticae gradus, primus cu-

rationem suscipit; secundus curatu difficilior; tertius insanabilis. Inter symptomata nonnulla sunt, quae exitium praemonstrant, ut pulsus valde debiles et celeres, summa virium dejectio, facies hippocratica, capillorum lapsus, urina pauca, rubra, oleaginea, sudores, et dejectiones profusae, et colliquativae, intumescentia pedum et crurum.

§. 143. Ad hanc quoque febrem curandam, inquirere in primis necesse est, an primaria, secundaria, vel symptomatica sit. Symptomatica variam exposcit medelam, prout varius est morbus, cujus symptoma est. Primariae autem, et secundariae curatio in emendandis humoribus, et reficiendis viribus ponitur. Inter medicamenta, quae hoc praestant, lac primum locum tenet, praesertim asininum, quia ocyus nutrit, hecticum calorem temperat, et exta intime pervadit. De hujus lactis praestantia in lentis febribus innumerae apud auctores observationes extant. Hoc aegroti hauriant vix ab asinae mammillis eductum, nempe adhuc

calens; et animal hordeo, gramine, foliis vitis, plantaginis, et salubribus herbis nutriatur. Post lactis asinini usum, vaccinum usurpari potest. Si lac bene feratur, exigua quantitate incipi debet, ut ipsi assuescat ventriculus; deinde augeatur quantitas, et si fieri possit, bis porrigatur in die. Optandum esset, non alio alimento, quam lacte aegrotantes ali, sed hoc raro consequimur. Prompte linquendum est lac, si digeri non possit, ut accidit in illis, qui affatim vinum bibunt. Cura lactis non convenit, cum aegri admodum febriant, ut Hippocrates docet aph. 64. sect. 5., et cum dolore capitis, aut hypochondria laborent, aut materies biliosas dejiciant. Si itaque aliquam ob caussam lac dari non possit, jura vitulinae carnis, ranarum, cancrorum fluviatilium, quibus hordeum Germaniae adjicitur, supplere utiliter possunt. Aër purus sit, et temperatus; animi et corporis quies servanda est; sed ante cibum pacatus motus, commoda deambulatione, gestatione, equitatione factus, dummodo vires sinant,

utilis est. Somnus moderatus sit. Justo vero brevior longiori damnosior est, siquidem frangit vires, et consumit corpus. Alimenta bene nutriant, bonosque humores pariant, ut jura carnium vituli, pulli, ova sorbilia, farinacea pulmenta, pisces marini tenerae carnis, et saxatiles, carnes vituli, pulli elixae potius, quam assae, et cocta poma. Veteres peculiari methodo utebantur balneis, quae obsoleverunt, cum nisi in morbi initio, et aliquo in casu conducere nequeant.

§. 144. Varia esse debet curatio, prout morbi caussae differunt. Si in caussa sint gastricae sordes, emesis, aut purgatio prius confert, dein stomachica et roborantia, ut decoctiones radicis gentianae, taraxaci; herbae absynthii, centauri minoris; corticis peruviani, aurantiorum, quassiae; extractum corticis peruviani, gentianae, absynthii, baccarum juniperi; tinctura chalybis vinosa, elixir proprietatis, etc.; si vini, et liquorum spirituosorum abusus, decoctiones avenae, hordei, radicis cichorei, serum lactis, victus

humidus, et refrigerans juvat; si suppressus alicujus consuetae evacuationis fluxus, ut in mulieribus menstruus, in hominibus haemorrhoidalis, aperiatur vena, si hoc permittant vires, et morbus adhuc adultus non sit. Tum opportunae sunt decoctiones resolventes, ut radicis cichorei, herbae sonchi, florum sambuci; quoniam exhibenda non sunt, quae ob ingentem efficaciam confestim hos fluxus revocare valent. Denique si animi affectus, labores, evacuationes nimiae, alimenta pravae indolis originem dederunt morbo, animi quies, moderatus corporis motus, convenientes cibi, pauca et apta medicamina curationem explent. Medicamentorum enim simplicitas plusquam farrago ad superandas lentas febres potis est.

§. 145. Interdum febris hectica praecaveri potest, praecipue in senibus, qui ab ea magis defendi, quam curari possunt. Si enim illorum, quorum salus nobis committitur, cognoscatur temperamentum, si sollicite removeantur caussae, roborentur vires, emendentur humores, plu-

res quidem servari possunt incolumes. Senex debilis et cacochymicus, cujus serosi latices abundantes et impuri sint, in febrem hecticam senilem proclivis est. Praemissis, si opus sit, levissimis laxantibus, simplici lactis asinini usu, quod senibus valde confert, quia succos reddit meliores, ab hoc forsan morbum propulsabimus. Si vero senex sit plethoricus, perpastus, vitam sedentariam degens, consuetas sanguinis missiones negligens, vel spontaneis sanguineis excretionibus deficiens, ob sanguinem viscera, in primis mesenterium infercientêm, in hecticam febrem facile incidit. Tum ut eum a periculo subducamus, nil utilius, quam tundere venam, medicamenta diluentia, cibosque nutrientes porrigere, et congruenter corpus exercere. His quidem diligentiis habitis plures servare medicis datum est.

ORDO SECUNDUS

Febres continuae

GENUS SECUNDUM

Febres continuae remittentes

§. 146. Febres continuae remittentes, graece συνεχεες, et συνεχεις, periodica symptomatum remissione, et spontanea exacerbatione procedunt, quae ab accessione febrium intermittentium, et accidentali augmento continuarum continentium dissimilis est. Haec enim exacerbatio, quae dicitur paroxysmus, circa horas vespertinas, ut plurimum caloris incremento, capitis dolore, majore pulsuum plenitudine, et vi, aliorumque symptomatum exasperatione recurrit. Remissio autem matutino tempore plerumque revertit, et a symptomatum levamine distinguitur. Remanet tamen prostratio virium, qualis in apyrexia febrium inter-

mittentium non observatur; sudor non erumpit; nec urina lateritia mingitur. Quapropter febres continuas remittentes ab intermittentibus, et a subcontinuis, et subintrantibus, quae ad intermittentium familiam spectant, discernere erit expeditum.

§. 147. Secundum remissionum, et exacerbationum periodum dividi solent remittentes febres in quotidianas, tertianas quartanas, vel simplices, vel duplices, triplices, et in erraticas, et vagas. Quotidiana remittens dicitur etiam amphimerina, quia ejus paroxysmi singulis diebus revertuntur. Hi autem paroxysmi nunquam ad apyrexiam perveniunt, sicut in quotidiana intermittenti, ac sibi similes sunt. Hic regularis typus non raro perturbatur. Saepe occurrit amphimerina symptomatica, quae ab alio morbo pendet, ut a phthisi. Tertiana remittens, etiam tritaeophya nuncupata, alternis diebus, si simplex, exacerbatur; si vero duplex quotidie ejus paroxysmi recurrunt, qui ut in tertiana intermittenti duplici, sibi alterne

respondent. Hujus febris exacerbationes, si excipiantur primae, frigore non ineunt nec in remissionibus sudor manat, nisi raro, qui si manet, aequalis non est, nec utilis. Animadvertendum est, non omnes febres, quae ab auctoribus ad quotidianas, vel tertianas remittentes referuntur, ad has reapse spectare. Pleraeque enim vel continuae continentes, vel intermittentes sunt. Denique quartana remittens, quae dicitur etiam tetartophya, constat paroxysmis similibus, sibique respondentibus, quarta quaeque die redeuntibus sine frigore, quos remissiones intermediis diebus sine sudore excipiunt. Haec febris rarissima est, et a perpaucis observata. Etenim nisi symptomatica sit, ut secunda, et tertia species Sauvagesii, nimirum tetartophya splenalgica, et hepatica, ut plurimum ad febres intermittentes pertinere videtur.

§. 148. Observandum etiam est, febres colliquativas ab auctoribus inter remittentes positas, plerumque secundarias esse aut ad alias febres spectare, scilicet

ad gastricas, nervosas, ardentes. De his igitur speciatim non eloquar, ut de aliis, quae vel ad intermittentes attinent, vel secundariae sunt, ut est febris soporosa senum, et hemiplegiaca, quae a morbosa aliqua cerebri affectione praecipue proficiscuntur, ut sectione cadaverum comprobatur. Nobis dumtaxat agendum erit de legitimis, et praecipuis, et frequentioribus febribus continuis remittentibus, quae aut quotidianae, aut tertianae typum habent, aut cum aliqua intermittente conjunctae procedunt, in quibus remissio quidem, sed nunquam intermissio observatur.

SPECIES PRIMA

Quotidiana continua remittens seu amphimerina

§. 149. Inter quotidianas remittentes recensenda in primis est febris quotidiana veterum, quae ob absconditum, et la-

tentem calorem barbare latica fuit nuncupata, et ab Avicenna lib. 4. phlegmatica periodica. Haec quotidie vesperi recrudescit, laxatur mane. A putrido, et pituitoso sanguine in venis putrescente eam nasci putabant veteres; recentiores vero a lento viscoso, et peccante humore, qui non solum ventriculum, et intestina, sed etiam alia viscera, totumque corpus obruit. Quam ob rationem non ad gastricas referri potest, sed potius tamquam alia remittentium species habenda est.

§. 150. Quidquid solida infirmat, et lymphaticum laticem auget, et inficit, eam gignere, aut ad eam disponere valet, ut est aetas senilis, temperies pituitosa, anni humida, et frigida tempestas, crudiora alimenta, humidae regiones, et alia, quae maxime perspirationem impediendi habent vim. Homines pituitosi, obesi, senes, pueri, infantes, desides, helluones, uliginosas plagas incolentes, crudis alimentis alti, hac febre frequenter corripiuntur.

§. 151. Paroxysmi aliquo extremorum frigoris sensu non raro aggrediuntur; interdum calore, qui mitis est, etiam in decursu febris, sed non nihil inaequalis, et acer. Hi longi sunt; nam ad decimam octavam horam producuntur. Pulsus sunt minus celeres, et frequentes; urina minus rubra, quam in aliis febribus, imo prius aquea, mox crassior apparet. Sitis aut nihil, aut parum vexat; facies est tumidula, et livescens; adest etiam propensio ad somnum, et inappetentia. Haec febris propter fibrarum atoniam, humorisque lymphatici viscositatem ita diuturna esse solet, ut ad duorum mensium spatium, et ultra exporrigatur. Tamen si utiles evacuationes eveniant, ocyus resolvitur. Non est discrimine expers, ut interdum a symptomatum gravitate, et virium defectu cognoscitur. Si enim valde deficiant vires, si lymphaticus latex maxime tenax, et peccans sit, et aliquod viscus oneret, ut cerebrum, ex quo profundus somnus inducitur, nemo non videt periculum. Etiam in alios morbos abire

potest, ut in hepatis, lienis, aliorumque viscerum obstructiones; in hydropem, et in hecticam secundariam, ad quam potissimum proclivis est.

§. 152. Serosus latex ita curatione emendari, et parari debet, ut per sudorem, et urinam copiose eliminetur, ac eodem tempore confirmandae sunt vires. Raro igitur venam incidere convenit, nisi id temperamentum, et symptomata exigant, ut gravis capitis dolor, aut somnolentia. Satius plerumque est cucurbitulas scarificatas admovere. Admodum revellentia prosunt, in primis vesicantia, quae non solum revellunt, sed etiam humorum tenacitatem resolvunt, dejectasque excitant vires. Si serosa, et viscida colluvies ventriculum praecipue premat, ex qua inappetentia oritur, omittenda non sunt purgantia levia, praesertim salina, quae etiam repeti possunt. Juvat etiam emesis, quia ocyssime è stomacho materiam elicit, et perspirationem promovet. Omnia insuper medicamina praestant, quae expositae indicationi respondent, ut decoctio-

nes aperitivae, leviter sudoriferae, aut simplices, aut cum syrupo quinque radicum aperientium, aut oxymelle simplici, aut scillitico; spiritus Mindereri, sales volatiles, medii; chermes minerale, aliaque hujus generis. Observandum vero est, an aliqua adsit complicatio, aut inflammatoria, aut gastrica, aut nervosa. Ubi nulla sit complicatio, praecipue inflammatoria, morbus nimis protrahatur, et aliquod veneficum miasma in caussa sit, vinum exhiberi potest, sed caute. Victus sit tenuis, reficiens, et curativis indicationibus consentaneus.

§. 153. Inter amphimerinas adnumeranda est febris catarrhalis benigna, quae exasperatur vespere, imminuitur mane, et catarrhalibus symptomatibus consociatur. Haec distinguenda est a catarrhali maligna, quae ad nervosas pertinet, et cum exanthemate aliquo, praesertim miliari incedit. Propter destillationis effectus aut caput, aut pectus occupantes, distinguenda etiam est a febre quotidiana veterum, quae a recentioribus muccosa, aut

pituitosa dicitur. Ejus vespertini paroxysmi horroribus vagis, et extremorum refrigeratione praesertim pedum aggrediuntur. Ad vesperam symptomata intenduntur, ut gravedo, tussis, raucedo, sternutatio, molestus laryngis stimulus, lacrymarum distillatio, faucium inflammatio, dyspnoea; quae autem mane una cum febre, perspiratione aucta, mitescunt. Progrediente autem morbo, copiosi sudores potissimum in remissionibus emanant, et naribus, faucibus, bronchiis mucus, vel concocta materies, quae prius tenuis, et acris erat, expellitur.

§. 154. Haec febris a seroso, et irritanti humore producitur, qui plerumque a perspiratione retenta habet originem, et hinc ad vasa, glandulas mucosae membranae, fauces, nares, bronchia praecipue operientis confluit, alicujus, vel omnium harum partium serosam, et levem inflammationem progignens. Interdum etiam membranam oesophagi, ventriculi, et intestinorum petit, et has partes irritat, ex quo saepe nausea, tormina, et alvi flu-

xus sequitur. Temperamentum sanguineum, phlegmaticum, mollis, et laxa corporis textura, aliquod vitium in humoribus, aut propter intempestivam alicujus excretionis suppressionem, aut propter vini, vel spirituum ingurgitationem evolutum, ad hanc febrem praeparant. Quapropter foeminae, pueri, viri obesi, ebriosi ei maxime sunt obnoxii. Quidquid autem perspirationem compescit, et humores serosos superfluos, et impuros reddit, caussa occasionalis est, ut repentina aëris mutatio. Qui ex calido aëre in frigidum transeunt, aut vicèversa; vel inconsulto aëri frigido exponuntur, dum corpus inedia, vigilia debile factum sit; vel frigidam aquam hauriunt, aestuante corpore, febre catarrhali frequenter laborant. Hinc ea maxime grassatur vere, et autumno ob frequentes aëris vicissitudines, et in illis regionibus, ubi aër variabilis valde est. Aliquando aliquod miasma in caussa est, et tunc morbus epidemico more corripit, qui tam communis evadit, ut etiam qui caute vivunt, evitantque morborum caus-

sas, tentet. Hujusmodi forte miasma a vaporibus terrae palustris, et insalubris formatur; siquidem febris magis saevit, dum aquis tempore, quo liquescunt nives, regelanturque glacies, impletur solum. Si hoc miasma cum aëre inspiretur, inflammat, ubi transit, partes, febremque parit. Saepe epidemicum miasma a ventis exportatur, et hinc morbus per plures regiones extenditur. Interdum tam catarrhi, quam febres catarrhales propagantur contagio, ut plerique clinici testantur. Egregius Sprengel non admittit, quod a regressa materia perspirabili nascatur febris catarrhalis, sed pro caussa ponit inaequalem sentiendi facultatis distributionem, et fluctuationem. Nam dum a frigore augetur contractilitas, in ea parte, quam aggreditur, sentiendi vis deprimitur, quae accumulata in alia organa consentientia irruit. Inquit ideo pathol. spec. vol. 1. §. 64. – Hinc patet, febrem catarrhalem complecti irregularem per plexus nervorum conductionem, ex adfectione viarum aeriferarum ortam, qua vasa capillaria prae-

primis laborant, quaeque ob consensum cutis cum iis viis, facillime è frigore, quod corpus excepit, nascitur. - Quamvis vero ab actione frigoris inaequalis sentiendi facultatis distributio oriatur, indubium est, quin ab eadem actione improviso supprimi possit insensibilis perspiratio, cujus materies ad aëriferas vias cito, et evidenter fertur, proindeque febrem, et catarrhalia symptomata inducit.

§. 155. Febris catarrhalis, si benigna, et mitis sit, ubi recte curetur, post septem aut quatuordecim dies sine periculo solvitur. Interdum etiam brevior est; nam post tertium, aut quartum paroxysmum sudoribus, urinis copiosis et crassis, materiei puriformis excreatu, vel materiei mucosae narium stillicidio expeditur. Tamen gravior, et diuturnior est ubi caussa validior, et aliquod in humoribus delitescat vitium. Hinc ob peculiares rationes graviora, et varia saepe adsunt symptomata. In juvenibus sanguineis, bibacibus, salso et irritanti cibo vescentibus, febris est intensior, tussis asperior, ingens capi-

tis dolor, somnus inquietus. In hypochondriacis hominibus spasticae adsunt strikturae, flatulentiae, distentio ventriculi, respiratio difficilis. In foeminis hystericis, aut menstruorum suppressione laborantibus praecordiorum anxietates, animi defectus, constrictiones spasmodicae, sensationes frigoris, et caloris alterne molestant. In aliquibus constitutionibus epidemicis, ut ex auctorum testimonio liquet, febris catarrhalis in anginam, aut pleuritidem abit, praesertim in temperamentis plethoricis, et in quibus inflammatoria diathesis inest, nisi mature incidatur vena, ac recta instituatur medela. In debilibus autem, in quibus deterior est pectoris structura, et pulmones labe afficiuntur, si tussis pervicax sit, et hujusce febris recursus frequens, facilis est in phthisin pulmonalem transitus.

§. 156. Cum febris catarrhalis levis sit, ejusque caussa levis, lecti tepore, copiosis, tepidisque potionibus, pauco victu resolvitur. Cum vero febris, et caussa validior, praemissa ut plurimum sanguinis

missione, theiformibus, tepidis, diluentibus potubus, et horis nocturnis leni narcotico interdum exhibito, curatur. Calida nimis, et incitantia nocent, quia circulationem, calorem, et inflammatoriam dispositionem, maxime in plethoricis temperamentis augent. Itaque caute opium adhibendum est, praecipue in senibus, et dum alvus nimis adstricta est. Damnosa etiam sunt refrigerantia, et omnia, quae perspirationem turbant. Si febris est admodum vehemens, gravibusque stipata symptomatis, praesens remedium est sanguinis missio, qua imminuitur febris, congestiones reserantur, perspiratio promovetur, symptomata sedantur, inflammationes gutturis, et pectoris praecaventur. Respuenda est illorum opinio, qui solum praeservatoriam, minime vero curatoriam venae sectionem admittunt. Hanc opinionem imprimis amplexus fuit Ill. Hoffmannus, qui de febr. sect. 1. cap. vi. dixit - Sanguinis missio debito tempore et regimine instituta, in plethoricis quam optime frequentem catarrhorum insultum ar-

cet., sed praesente jam catarrhali febre, penitus ab ea abstinendum. Tum enim, experientia teste, diuturnitatem catarrhi adducit. — Contra autem dicere possumus, diuturnitatem catarrhi potius sequi, dum inconsulto incidatur vena, ut in debilibus hominibus, in quibus serosi humores abundant, et impuri sunt, ac pars rubra sanguinis perpacua est. In his enim venae sectio projicit vires, serosis congestionibus favet, et catarrhi pervicaciam infert. Oportet igitur, ut sanguinis missio utilis sit, eam temperamentis, vehementiae morbi, ejusque genio aptare. Subinde enim sufficit modica, subinde largior est necessaria, et quidem repetenda. Ubi vero anceps est, curcubitulae potius scarificatae, aut hirudines admovendae sunt. Purgantia plerumque obsunt, praecipue morbi initio. Si enim purgantibus ad intestina trahatur materies, haec lacessit, et ab irritatione tormina, diarrhoea, aliaque incommoda nascuntur. Tamen si primas vias saburra oppleat, et alvus sit compressa, non solum ineunte, sed progre-

diente morbo, levi purgatione cienda est. Conferunt etiam clysteres, qui alvum ducunt, revellunt, et temperant. Pro potionibus optimae sunt decoctiones hordei, radicis althaeae, florum papaveris rheados, sambuci, etc. Si vero calor sit intensus, ut saepe in plethoricis, et cholericis accidit, emulsiones nitratae juvant. Si febris modica sit, pulmones, et solidae partes laxae, humores serosi abundantes, et viscidi, decoctiones polygalae virginianae; oxymel scilliticum, chermes minerale, et alia hujus generis emolumento sunt.

§ 157. Interdum tussis tam aspera est, et molesta, ut somni quietem auferat. Hanc quidem compescere, et sedare necesse est. Dari solent oleum amygdalarum dulcium, syrupus de althaea, eclegma de tussilagine vel simplex, vel compositum, decoctiones emollientes, et narcotica, ut diacodium, pillulae de Cynoglossa, styrace Sylvii, opium. Observandum vero est, oleosa et dulcia debilitatem in primis ventriculi, et pulmonum inducere: opium, et opiata nocere, si porrigantur

ubi prius sanguinem mittere, aut purgationem dare, aut è pulmonibus humores serosos eripere oporteat. Cum tussis vel ab ingenti serosorum humorum copia, vel alicujus efflorescentiae repulsione nascatur, vesicantia expediunt, praesertim brachiis applicita, quae eo magis erunt utilia, quo aegri temperies magis lymphatica sit. Si doleant fauces, tepido lacte, aut malva, aliisque emollientibus mitigetur dolor. Si multa pituita fauces, et narium cavitates obstruat, aqua tepida malvae, vel tepido lacte hae partes emolliantur, et tanta pituitae resolvatur tenacitas. Si ad pituitosi humoris stillicidium inducendum aliquantisper extimulare oporteat, aliquod decet medicamentum volatile naribus admovere. Tandem si alvi fluxus superveniat, non reprimendus, dummodo levis sit, cohibendus, si profusus.

§. 158. Qui caussas febris catarrhalis fugit, praesertim si ad istam pronus sit, ac praeserpatoriae curationi subjiciatur, eam sane praecavebit, ejusque amovebit recursum. Quamobrem plethorici tempo-

re veris, aut autumni nimiam sanguinis copiam minuant, parco victu utantur, perspirationem servent, et motu sese exerceant: debiles autem et lymphatica temperie praediti decoctiones adhibeant sarsae parillae, radicis chinae, ligni sassafras, etc. atque assatis carnibus vescantur. Immerito quidem nostris temporibus hujusmodi praeservatoria methodus plerumque negligitur; siquidem opportune, et quibusdam anni tempestatibus instituta, ad repellendum morbum potis est.

§. 159. Febri catarrhali rheumatica valde affinis est, quae doloribus capitis, colli, articulationum praecipue distinguitur. Est vero differentia quoad dolorosorum affectuum sedem; nam in illa membranae muccosae, in hac musculi, eorum velamenta, tendines, capsulae et ligamenta articularia afficiuntur. Praeterea in illius paroxysmorum remissione multa est in sudores propensio, istius vero paroxysmi sudoribus non resolvuntur. Febris rheumatica horroribus, aut frigore inchoat cum articulorum cruciatibus, languore, et gra-

vitatis sensu. Errabundi in frigore dolores sunt, in calore immoti, et ubi haerent saepe tumidae, et rubrae fiunt partes. Hoc caloris tempore adest sitis, anxietas, inquietudo, vesania; pulsus sunt frequentes, duri, vibrantes, urina parca, turbida, et sine sedimento. Vesperi recurrunt paroxysmi, qui ad sequentem protrahuntur diem. Brevis est somnus, et in somno aliquis apparet sudor sine paroxysmorum, et symptomatum imminutione. Imo post somnum nervorum distentionibus, tremoribus convulsivis, subsultu tendinum, et majori dolorum saevitie corripiuntur aegri. Remittuntur denique paroxysmi, et eodem tenore ad plures hebdomadas protrahitur morbus, praecipue si non recte curetur. Sanguis è vena missus crusta tegitur phlogistica, aut sero saepe subviridi abundat. In longo febris decursu admodum infringuntur vires, et affectiones nervosae frequentes sunt.

§. 170. Eaedem caussae, quae febrem catarrhalem producunt, rheumaticae originem dant. Haec itaque ut illa vere, et

autumno cum aër variabilis est, in regionibus humidis et frigidis, palustribus familiaris est. Huic maxime proclives sunt debiles, natura sensibiles, aut tales luxu et mollitie redditi, homines hypochondriaci, foeminae hystericae. Ad hanc etiam disponunt temperies sanguineo-phlegmatica, habitus cacochymicus, acritates cum humoribus serpentes, ulcera protinus exiccata, naturales fluxus sanguinei, et mucosi suppressi. Inquit Sprengel frigus, quod corpus, et praesertim fibrosa musculorum velamenta corripit, esse praecipuam caussam; nam illius actione augetur contractilitas, imminuitur sentiendi facultas, et imponderabilium per ganglioso nervos perturbatur conductio. Hoc quidem, ut diximus de caussa febris catarrhalis, fieri potest, sed praecipua caussa est perspiratio praepedita, cujus materies ad musculorum velamenta, tendines, capsulas, et ligamenta articularia fertur.

§. 161. Si febris rheumatica simplex sit, et accidat in hominibus alioquin sanis periculosa non est; dum vero est complicata,

et gravibus conjuncta symptomatis periculo non caret. Quaedam sunt signa, quae sollicitam morbi solutionem promittunt. Si enim pulsus mollis fiat, si urina deponat sedimentum, lingua madeat, cutis aequali, copioso, et calido perfundatur sudore, omnia mitescunt symptomata, morbusque solvitur. Observatum etiam est, quod sanguis è naribus stillans, copiosa urinarum secretio, et abundans saliva, exanthematum miliarium eruptio ad sanitatem conducunt. Interdum vero symptomata graviora fiunt, affectiones nervosae accedunt, aut inflammationes consocientur, ant ventriculus, et intestina sordibus gastricis, et biliosis obsidentur, et tunc periculosissimus morbus evadit. Omnia igitur sunt examinanda, ut aliquid certi de praesagio instituamus.

§. 162. Simplex hujus febris esse debet curatio. Merito inquit Sprengel oper. cit. §. 69. juxta ab eo positam doctrinam — Itaque nec incitandae sunt vires, nec minuendae, sed aequabilis conductio per nervos restituenda — Quamvis enim rheu-

ma sit morbi symptoma, et ideo aliqua sit phlogosis in affectis partibus, tamen febrium inflammatoriarum methodus convenire non potest. Nihilo tamen minus in juvenibus, sanguineis, et robustis, et ubi adest inflammatoriae diatheseos complicatio, sanguinis missio locum habet, et hirudinum excruciatis partibus applicatio. Optimae sunt potiones tepidae diluentes, nitrosae, leviter diaphoreticae. Juvant etiam vesicantia, praecipue in decursu morbi. Dum adest complicatio gastrica, aut emesis, aut purgans leve confert. Denique nervosi affectus anodynis, et opiatis compescendi sunt. Victus sit tenuis, et reficiens, ex jusculis praecipae vitulinis compositus.

SPECIES SECUNDA

Tertiana continua remittens seu tritaeophya

§. 163. Ex veris continuis remittentibus adnumeranda est febris ardens, quae non synochorum instar ad finem continen-

ter properat, sed imparibus diebus exacerbationibus distinguitur. Plures febres ardentium nomine fuerunt insignitae, sed ab istis quae proprie vocatur ardens sejungenda est. Haec, urente canicula, interdum observatur, et graece dicitur καύσος ἀπὸ τῦ καίειν, scilicet causus ab urendo. Ardenti enim aestu, circa vitalia flagrantissimo, et non explenda siti cognoscitur. Praeter autem hujusmodi potiora signa, reliqua negligenda non sunt, nimirum cutis siccitas, respiratio cita, aër expiratus calidissimus, lingua arida, aspera, nigra, frigida contrectandi cupiditas, urinae rubrae, flammeae, biliosae, alvus modo adstricta, modo soluta, dolor capitis, pervigilium, anxietates, tussicula, vox clangosa, delirium, coma, convulsiones. Hippocrates lib. de affectionibus ardentem febrem paucis ita exprimit – Causus cum habuerit, febris detinet, sitis fortis, lingua aspera et nigra fit a spiritus caliditate. Color fit subbiliosus, et sputa biliosa - Calor ardentis febris non aeque per corpus diffunditur; hinc dixit Araeteus lib.

2. cap. 4. τῦρ μεν᾽ παντη καὶ δριμὺ καὶ λεπτον μὲλιϛα δὲ τα ἐὶσω- Ignis ubique acer, et acutus est, sed intus maxime -- Aliquando dum per vicinia cordis est urentissimus, extrema frigent; aut dum internae partes aestuant, exteriores rigent, ut loc. cit. sic adnotat Hippocrates -- καὶ τὰ μεν᾽ ἔξω ψυχρὸς γίνεται. τὰ δὲ ἔσω λίαν θερμος idest extrinsecus quidem aeger frigidus fit, intrinsecus valde calidus -- Etenim liquidissimis partibus orbatus sanguis, dum magno impetu per vasa, et viscera cordi proxima labitur, haud libere arteriolas permeat. Si igitur tantus est ardor circa vitalia, tanta sanguinis per pulmones velocitas, tantaque fluidarum partium jactura, necesse est, ut respiratio densa, et cita, scilicet in motibus inspirationis, expirationisque celer, et difficilis consequatur. Expiratus aër fit calidissimus, ut ab igne excalefactus, et quo magis siccitas crescit, eo magis lingua fit aspera, sicca, nigra, quod quidem malum est. Ab ingenti siccitate, humorum alteratione, et corrupta bile in ventriculum, et

duodenum effusa, sitis oritur, quae raro deest, et si forte desit pessimum est, quoniam animus ob cerebri perturbatas functiones sitis sensum percipere non potest. Item capitis dolor, pervigilium, delirium, convulsiones luculenter ostendunt, quam a vehementi febre, densique sanguinis concursu cerebrum, ejusque functiones laedantur. Subinde a nimia vasorum distensione, et aërearum vesicularum compressione, et siccitate tussicula nascitur; vox autem per udas, mollesque partes non amplius transiens, clangosa fit. Saepe etiam ob difficiliorem sanguinis meatum per vasa pulmonalia, et interdum per portarum venam anxios fieri aegrotantes observamus, quod etiam ex copiosa, corrupta, et stagnante bile circa hepar aliquando proficisci videtur.

§. 164. Febris ardens a nimium concitato sanguine, blandioribus, et liquidioribus partibus orbato, immediate oritur. Itaque quidquid sanguinis, et humorum motum vehementer excitat, et eorum tenuissimas partes dissipat, et alterationes

inducit, inter occasionales caussas est recensendum, ut immoderatus labor, nimia venus, spirituosi potus, longum iter sub ardentibus solis radiis, dira et diuturna sitis, ut de victu acutorum Hippocrates ita docet γίνεται δὲ ἐπιτοπολὺ καὶ ἐκ πορείης μακρῆς, καὶ δίψεος μακρῆ fit autem plerumque ex longo itinere, et longa siti -- Opinabantur veteres ardentes febres a bile produci, atque divinus praeceptor de affectionibus dixit ἡ δὲ νεῦρος αὕτη γίνεται ὑπὸ χολῆς ὅταν κινηθεῖσα ἐντὸς τοῦ σώματος καταστηρίξῃ fit autem morbus a bile, quum mota intra corpus firmata fuerit. -- Sed animadvertendum est, a recensitis occasionalibus caussis bilem acriorem, et copiosiorem reddi. Accidit interdum, ob vitiosam bilem in cystifellea congestam, et in duodenum effusam, aut ob alia gastrica inquinamenta evolvi febrem, quae ardentis apparentiam habet, sed non est nisi gastrica, ut ostendunt biliosae, foetidae, variaeque dejectiones, quae cum propriis ardentis febris symptomatibus conjungun-

tur. Obnoxii sunt verae ardenti febri juvenes, biliosi, operis ac laboris patientes, spirituosis potubus, et calefacientibus alimentis indulgentes, et qui aestivo tempore sub ardente sole longis itineribus sese committunt.

§. 165. Febris ardens in legitimam et spuriam dividitur. Symptomatum vehementiae caussa raro legitima septimam diem superat, et interdum ad nonam, undecimam, et decimamquartam progreditur. Si hoc praetereat spatium, spuria dicitur. Haec in intermittentem saepe mutatur, et tum intermittentis curationem exigit. Legitima frequentius observatur, cum aestas fervidior sit, praecipue apud agricolas, et venatores, qui multis, diuturnisque laboribus subdiu defunguntur. Hippocrates aph. 21. sect. 3. eam inter aestivos morbos adnumerat.

§. 166. Quam effera, et praeceps esse debeat hujusmodi febris, nemo non videt. Ut vero de hac rite praenuncietur, spectanda sunt symptomata, quae bonum vel malum exitum indicant, omnesque

naturae motus. Etenim cum symptomata vehementissima sint, aegri saepe tertia, vel quarta die pereunt. Cum vero morbus ultra undecimam, et decimamquartam diem procedat, quamvis periculosus, est natura mitior. Historias legimus 3. epidem. Hippocr. primi aegrotantis, qui febri ardente vigesima supra centesimam diem vita cessit; noni, qui centesima luce plane fuit judicatus. In hisce vero casibus morbus degenerasse, ejusque sedato impetu, morbus alter consequutus fuisse videtur. Inter symptomata fervidissimus aestus, sitis inexpleta, aut non percepta, cum aeger delirans sentiendi facultatem amiserit, lingua arida, exusta, aspera, anxietas summa, lassitudo, vox clangosa, urinae tenues, crudae, nigrae, malum portendunt omen. Contra vero ubi symptomata tam violenta non sunt, vires vigeant, aegri quiescant, reficiantur quiete, libere spirent, corpus aequaliter caleat, lingua non sit tam arida, et aspera, urinae copiosae, et laudabile sedimentum deponant, spes bona

nobis effulget. Saepe causus haemorrhagia, vomitu, dejectionibus, sudore, urina, abscessibus judicatur. Quamquam haemorrhagia ex haemorrhoidibus, aliisque partibus salutaris esse possit, frequenter utilior est è naribus, dummodo satis copiosa diebus criticis accidat. Praeparca enim et stillatitia saepe lethalis est, et irritum potius naturae conamen ostendit. In Hippocr. Epidem. extant aegrotantium exempla, qui per largam narium haemorrhagiam judicati fuerunt; aliorum vero demortuorum, quibus aut nihil sanguinis, aut parce, et stillatim eruperit. Vomitus etiam, et dejectiones sunt salutares, si post coctionem eveniant, morbique levamen afferant. Ita sudor imminuit morbum, si critice toto corpore calidus, copiosus, aequalis manet. Urinae autem licet copiosae, et bonum abjiciant sedimentum, ad perfectam materiei morbificae eliminationem raro satis sunt. Inquit Svvietenius in Boer. § 741. -- Unde etiam urinae sedimentum copiosum, et laudabile po-

tius pro coctionis signo habetur, quam quod ab hac sola evacuatione integra sanatio expectetur. – Saepe non per unam, sed per plures evacuationes resolvitur morbus. Hippocrates aph. 58. sect. 4. quemdam adnotavit rigorem, qui praesentibus coctionis signis, diebus criticis accidit, dum aegri constant vires. Si enim hae vigeant, cito spasmodica nervorum affectio relaxatur, a qua extremorum frigus, pulsuum contractio, pectoris angustia, et humorum propulsio ad interna vasa dependent: ob validum arteriarum, et cordis renisum ad superficialia vasa propelluntur humores, et saepe per universalem et copiosum sudorem morbifica materies exturbatur. Si autem aegri laborent defectu virium, et nulla adsint coctionis signa, infestus est rigor; nam sanguis nec ad superficiem urgetur, nec recalescit corpus, nec pulsus aequales, et validi fiunt, nec aequaliter erumpit sudor. Hinc graviora symptomata premunt, ut convulsiones, anxietas, respiratio anhela, et difficilis. Inter observanda foeno-

mena alvi tormina sunt. Haec enim, praecipue acerrima, intestinorum, et mesenterii inflammationem ostendunt, quae nullo negotio in gangraenam abit. Quapropter Hippocrates in coac. praenot. ardentem febrem ex alvi dolore laborioso perniciosam dixit. Quoniam igitur haec febris in inflammatorios morbos saepe transit, nil mirum, si non raro in phrenitidem, et peripneumoniam convertatur.

§. 167. Ut recte procedat curatio, perlustrandum in primis est, an sanguinis missio conveniat. In macilentis enim et biliosis noxia; in plethoricis, et juventute vigentibus est opportuna. Si dum convenit omittatur, augetur discrimen, siquidem gravis aliqua inflammatio plerumque sequitur. Natura ipsa eorum culpam haemorrhagiis detegit, qui venae sectionem neglexerunt. Ubi vero jam interna adsit inflammatio, si mature non secetur vena, cito succedit gangraena. Si autem deficiant vires, et dum extrema frigent, urat internus calor, noxia erit sanguinis imminutio. Hinc Swietenius in Boer. §. 743.

dixit -- Si ergo in tali casu vena secabitur, tolletur pauculus ille sanguis, qui ex arteriis in venas transire potuit, et quo solo adhuc vita sustentabatur; adeoque summus metus est, ne pro remedio mortem venae sectio adferat. -- Ut igitur recte procedatur, vires, et symptomata perpendenda sunt. Si enim illae firmae sint, et haec vehementia, multum a sanguinis missione sperandum est. Si sanguis ingenti copia, et impetu feratur ad caput, ad praecavendam phrenitidem nil efficacius, quam pertundere pedis venam, et narium venas scabere, praecipue si sanguis jam aliquantulum stillet. Interdum dum violentia symptomatum detractionem sanguinis postulat, eam infirmitas virium refugit. Hujusmodi casus praeceps est; sed omnes cum Celso conveniunt, satius esse anceps, quam nullum experiri remedium, si nulla alia sanationis spes remaneat.

§. 68. Praeterea temperandus est calor urens, sitis aspera, fervida corporis siccitas; et aquosae partes deperditae sanguini sunt re-

stituendae. Aptae igitur sunt potiones frigidae, demulcentes, subacidae. Inutilis a quibusdam agitatur quaestio, an potiones calidae, vel frigidae juvent. Nam experientia, et ratio suadet, frigidas esse utiles, dummodo quaedam observetur methodus. Ait Hippocr. de affect. καὶ τά τεπὸματα καὶ τὰ ῥόφήματα διδόναι πυκνὰ και κατ᾽ ὀλίγον ὡς ψυχρότατα potiones quoque ac sorbitiones dandae sunt frequentes, et paulatim quam frigidissimae. Plerique post Hippocratem, praecipue in calidioribus regionibus medicinam facientes, aquam frigidam, ut magnum auxilium, et aegris jucundissimum judicarunt. Ut vero sine damno propinetur, adhibendae sunt cautiones, quae apud Celsum, aliosque antiquitatis scriptores adnotantur, nimirum aeger sit juvenis; vires validae; solvatur plethora, si adsit; extrema calescant; pulsus aequales, magni; morbus ad statum veniat, quamvis etiam in augmento juvare possunt frigidae potiones, si ingens calor, et sitis sit; nulla inflammatio; nullum

extremorum frigus cum anxietate ; nulla pulsuum debilitas , et conctractio . Nunquam vero affatim haurienda est aqua frigida , sed frequenter , et paullatim , ut docuit Hippocrates . Optime hinc statuit Burserius de febr. §. 428. -- Prudenter se gerunt , qui quavis semihora sex , vel octo ejus uncias porrigunt , et sic excluso omni alio alimento , per aliquot dies sola aqua aegros sustinent , donec morbus judicationem subeat. -- Potiones demulcentes , ut decoctiones hordei , oryzae, emulsiones seminum melonum blandam humorum naturam servant . Subacidae etiam fructuosae sunt , ut citreae , vel vinum ipsum in multa aqua dilutum, praecipue si humores ad solutionem inclinent. Potiones vero ad opportunitatem , et aegrotantium voluptatem mutandae sunt.

§. 169. In decursu morbi excrementa , et depravati humores in primis regionibus congeruntur . Aliquando inter initia gastrica inquinamenta a signis deprehenduntur . Tunc confestim alvus cienda est , ne morbus deterior fiat . Ne ve-

ro irritentur, et inflammentur intestina, purgantia sint levia, ut decoctio tamarindorum, serum tamarindatum, cremor tartari, aliaque hujus generis. Quoniam valde juvat alvi libertas, fotus, et emollientes clysteres ad hunc finem ducunt. Sic absoluta crisi, jamque desistente morbo, corruptos succos detrudere levibus purgantibus opus est, ne retenti noceant. Victus sit tenuissimus, et refrigerans. Potiones per aliquot dies sufficiant, donec in magnum vigorem perveniat morbus. Aër servetur purus, et frigidiusculus. Inquit Celsus lib. 3. cap. 7. -- Etiam amplo conclavi aeger tenendus, quo multum, et purum aërem trahere possit; neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus est. – Ut igitur aër respiretur purus, locandus est aeger in amplo conclavi, ubi aër saepe renovetur; quoniam halitibus, qui ab humano corpore emittuntur, cito adimpletur. Multi populares pereunt, quia in parvis cubiculis vivere, et aërem noxiis exhalationibus foedatum haurire coguntur.

Nunquam aegri suffocantibus indusiis utantur, quae calorem jam nimis urentem maximopere adaugeant.

TERTIA SPECIES

Continua remittens

modo quotidiana, modo tertiana.

§. 170. Ad hanc remittentis speciem febris gastrica spectat. Ita nuncupatur febris, quae a pravis, et degeneratis in ventriculo alimentis; vel a diu immorantibus, et corruptis excrementis; vel, ut verbo dicam, a quibuscumque vitiosis materiebus primis viis considentibus oritur. Haec ut plurimum quotidianae, aut tertianae remittentis modo cursum agit. Tamen non raro sub forma intermittentis aggreditur, dein in continuam remittentem, vel quotidianam, vel tertianam commutatur; aut in principio et progressu est continua remittens, ac sub fine in intermittentem vertitur; aut sine certo ac-

cessionum, et remissionum ordine decurrit. Multi pro varietate caussarum eam in biliosam, pituitosam, et verminosam dividunt. Modo autem est sporadica, modo epidemica, modo aliis complicata morbis.

§. 171. Quidquid alimentorum coctionem vitiat, fibrarum robur infirmat, et intestina corruptis materiebus, succisque depravatis implet, ad hanc febrem praeparat. Plurimae igitur esse possunt antecedentes caussae, sed potiores sunt aër calidus, et humidus, vel nimis calidus, variabilis, pluviosus, palustris, constitutiones austrinae; alimonia qualitate, et quantitate peccans; animi pathemata, sed in primis moeror; otium; intensa studia; vigiliae; nimia, et intempestiva venus; aliaque similia. Aër calidus et humidus ob unionem caloris, et humiditatis robur solidorum prosternit; quod etiam efficit constans austrorum flatus. Assiduae pluviae debilitant corpora, et ne ab ipsis emittatur perspirabilis halitus impediunt; quod etiam aër palustris,

et ventis minime actus producit . Aër nimis calidus aufert fibrarum robur , dissipat fluida , et hinc organa digestionis valde languent. Si autem aër modo sit calidus , modo frigidus ; coelum modo sudum , modo nubilum ; modo austri spirent , modo aquilones ; perspiratio impeditur , quae saepe ad intestina convertitur . Quoad vero alimenta , si nimis sint copiosa, non satis invicem commisceantur, nec cum succis gastricis , et diu remaneant in ventriculo , ubi non concoquuntur , nulloque negotio degenerant ; si sint pravae naturae , ventriculum , et intestina impuritatibus onerant , nec nutritioni prospiciunt . Moeror est pathema valde deprimens , quod humorum circuitum retardat , et saluberrimam perspirationem minuit . Tandem vita deses , studia , vigiliae immodicae , frequens , et intempestivus coitus enervant , secretiones , et excretiones vel perturbant , vel retardant, vel impediunt ; digestioni officiunt ; in primis viis cruditates , et humores lentos , viscidos , ac tenaces edunt . Hinc evidens

est, a debilitantibus caussis febres gastricas facile progigni.

§. 172. Cum febris gastrica imminens sit, quaedam adsunt indicia, ut languor, laxitas, segnities, pandiculatio, oscitatio frequens, capitis, lumborum, genuum, et tibiarum dolor, oris amarities, pravusque sapor, appetitus defectus, consueti alimenti fastidium, lingua alba, sitis, somnus inquietus, non restaurans, saevisque imaginibus abruptus, alvus aut compressa, aut soluta. Postquam aeger in hoc statu plures transiit dies, morbus horrore, aut inconstanti frigore saepe explicatur. Pulsus sunt parvi, celeres, inaequales; sequitur calor siccus, et acer; iterum illi relevantur, imo saepe fortes evadunt, et duri, si gastrica febris cum inflammatoria complicetur. Caput magis dolet, molestat sitis, os amarum, nausea, vomitus, vel vomendi cupiditas, molesta stomachi sensatio, urina parca. Ejusmodi symptomata altero adveniente die remittuntur, nempe imminuitur calor, pulsus sunt magis regulares, mitior fit capitis

dolor ; quae vero dum advesperascit rursus ingravescunt . Hic autem ordo inconstans est , praecipue in primis periodis , cum morbus , et symptomata inordinate augeri videntur . Lingua modo humida est , modo sicca ; si humida , tota albescit ; si sicca nigrescit , aut in medio fusca est , circum vero albida , aut lutea . Dentes materie viscida , tenaci , fusca , aut albescente foedantur ; anima graveolet; ex dejectionibus teter odor emanat . Cutis subinde sicca , et arida ; subinde mollis , et sudore madens sine levamine ; siquidem hic est symptomaticus , aut ab intempestivo , et calefacienti regimine concitatus . Urina protinus a morbo plerumque parca , aquea , tenuis ; in progressu vero coloratior , turbida , sedimentosa mingitur . Hypochondria plus minusve turgent , et dolent . Ubi morbus augetur , ut saepe propter majorem caussarum vim in epidemicis constitutionibus evenit , gravioribus symptomatibus consociatur . Vires maxime concidunt ; nulla a remediis retrahitur utilitas ; praecordia anxia ; dolo-

res laterales acutissimi ; ventris distensio tympanitica ; lipothymiae frequentes ; alienatio mentis ; maculae interdum in corporis superficie apparent , modo rubrae , modo lividae , modo fuscae ; spasmodici motus ; singultus ; tendinum subsultus ; manuum tremor ; involuntariae , et foetidissimae dejectiones ; supinus decubitus ; pulsus celer , exiguus , inaequalis , intermittens ; extremorum frigus ; copiosus , et gelidus sudor ; stertor ; et tandem hora suprema.

§. 173. Ut quae sit cacochylia morbum generans dignoscamus , nonnulla indicia sunt perquirenda , quae aut nimis copiosam bilem , aut pituitam , aut vermes esse in caussa probabiliter ostendunt. Febris enim gastrica biliosa aestate praesertim calidiore cholericos maxime corripit , et ab oris amaritie , lingua flava , cute et oculis flavo colore suffectis , siti , molesta ventriculi sensatione , nausea , ructibus , vomitibus , et dejectionibus biliosis male olentibus , ciborum fastidio , gravi halitu , flatibus hypochondria et ventrem disten-

dentibus, et murmurantibus, doloribus vagis, urina lateritia, aut profunde lutea detegitur. Gastrica pituitosa in constitutione praecipue humida aëris pituitosos, cachecticos, melancholicos, desides, crudioribus, viscosis, farinaceis alimentis enutritos aggreditur, et a lassitudine, tristitia, pituitosa materie linguam obducente, viscida saliva, nausea, appetitus defectu, vomitu materiei viscidae, insipidae, aut amarae, pauca aut nulla siti, gravitate capitis, pulsu debili et lento, urina tenui, cruda, limpida, subjugali cognoscitur. Interdum copiosa et vitiosa pituita in ventriculo, intestinis, caeterisque corporis partibus ita coarcervatur, ut inde alia, et gravia symptomata exoriri possint. A praepedito enim bilis fluxu in duodenum arquatus morbus subinde nascitur. Interdum autem anxietas, vomitus pituitosae materiei, respirandi difficultas, tussis pituitam expellens, deglutitio molesta, aphthae torquent, quae quidem vel a copia, vel a vitio hujusce pituitosi humoris procedunt. Gastrica ver-

minosa, quae pueros, et homines laxae temperiei frequentius implicat, aut ab ipsis vermibus modo vivis, modo mortuis, modo putrescentibus, vel ab ore, vel ab ano exeuntibus; aut a signis vermium propriis indicatur, ut sunt ventriculi, et intestinorum pungentes, et erodentes dolores, convulsiones, halitus peculiaris et gravis, vertigo, narium pruritus, nausea, vomendi stimulus, facies pallens, livescens, et alia plurima. Saepe omnes hae caussae ad producendas febres gastricas insimul concurrunt, et tunc plura exurgunt foenomena, quae earum praesentiam demonstrant, ut quotidiana experientia edocemur.

§. 174. Frequenter gastrica febris cum nervosa conjungitur, ut in nosocomiis, carceribus, observare contingit, quae gastrico-nervosae nomine insignitur. Hujusmodi complicatio vel paullatim, et progrediente morbo evolvitur, cum scilicet cacochylia gastrica minime subducta, magisque corrupta per vasa absorbentia in sanguinem irrepit, ac nervorum offendit

systema ; vel corripiente morbo , cum praesertim contagium accedat , quod protinus solidorum robur decutiat , et naturalem humorum crasim pervertat. In hac complicatione febris gastricae symptomata cum nervosae symptomatibus copulantur, quae jam a nobis exposita sunt. Interdum vero gastrica febris cum inflammatoria diathesi, aut aliqua inflammatione viscerum complicatur , ac nomine gastrico-inflammatoriae distinguitur. Haec complicatio a temperamentis, caussis, et symptomatibus deprehenditur. Si enim praeter symptomata gastrica sunt faciei rubor, calor ingens , sitis , dolor capitis intensissimus , delirium , pulsus durus , plenus , vehemens , respiratio concitata et calida , urinae flammeae et rubrae , sanguis eductus pellicula inflammatoria obtectus , et febris continuarum continentium more incedat , de complicatione phlogistica dubitandum non est.

§. 175. Ad instituendum praesagium perspicere oportet , an febris simplex sit, vel complicata ; qui ejus procedendi mo-

dus ; quae caussae ; quae symptomata . Si simplex sit , non tam grave portendit omen . Interdum enim , deturbatis è primis regionibus saburris , post paucos ab invasione dies omnino solvitur . Certum est, quod eo expeditius superatur morbus, quo citius ejus expellitur fomes . Morbus autem pejorem induit naturam , si necessaria negligatur purgatio .. Pluries pueros, et infantes ob vermes purgationibus non ejectos , nec remediis enecatos obire vidimus . Ut plurimum quo breviores sunt exacerbationes , earumque tardior recursus , quo promptior symptomatum remissio , et sudoris eruptio , eo propior est sanitas . Si vero longiores sint accessiones , obscurior remissio , morbi fomes extricari non possit ; magis saeviant symptomata , timendum est , ne gastrica simplex pejor fiat . Cum febris sit complicata , majus sane periculum urget . Maxime enim ominosa est gastrico-nervosa, praesertim epidemica . Haec modo cito finem habet ; modo ad plures hebdomadas intra salutis spem , et timorem mortis produ-

citur ; modo post longum cursum , praeter spem , sudore , alvi dejectionibus , vomitu , urinis sedimentosis et lateritiis temperantur symptomata , quae nuper interminari vitam videbantur . Etiam gastrico-inflammatoria admodum anceps est ; nam inflammationes viscerum crebro in gangraenam abeunt , ut cadaverum autopsiae confirmant . Tamen si recta et sollicita sit curatio inflammationes resolvi possunt , et salutares efficiuntur metastases . Magni autem interest ad caussas , et symptomata animum adjicere ; nam saepe impuris primarum regionum materiebus lethales vires addit contagium , et symptomata mortiferam morbi indolem declarant , ut extremus virium lapsus , pulsus exilissimi , inaequales , delirium , extremorum frigus , involuntariae dejectiones foetidissimae , haemorrhagiae dissoluti sanguinis , et alia hujusmodi . Si vero caussa sit simplex et levis ; mitia etiam symptomata , scilicet vires constent , pulsus sit aequalis et validus , respiratio facilis , excrementa nec tam male oleant , nec li-

quescant, urina crassa, lateritia, sedimentosa, et stranguriosa evadat, quid timendum?

§. 176. Pro febris gastricae curatione etiam investigare oportet an ipsa sit simplex, vel complicata. In simplici enim, ubi non sit extrahendi sanguinis necessitas, statim vel per os, vel per anum materies corruptae abigendae sunt, ut Baglivius admonet. Nam post sollicitam purgationem, aut vomitionem prompta observatur symptomatum remissio, erumpit sudor, urinae sedimentosae minguntur, morbusque minuitur. Juvat emesis, si sarcina in ventriculo lateat, quod ex sorditie, et amarore oris, gravi halitu, nausea, vomitu bilioso, et pituitoso, vomendi desiderio, molesta ventriculi sensatione, capitis dolore, vertigine, circa praecordia tensione, et anxietate deprehenditur. Aliquando vero interjiciuntur obstacula, quae emetici usum impediunt, ut graviditas, enterocele, haemoptysis, et ad purgationem porrigendam potius adstringunt. Purgatio magis convenit, cum

saburrae intestina onerent, quod ex lumborum dolore, intumescentia abdominis, foetidis, et biliosis dejectionibus cognoscitur. Quo accuratius eliminentur sordes, saepe modo emesim, modo purgationem, pro cujusque viribus repetere necesse est. Interest ideo aegri vires, et morbi naturam respicere. Ad excitandum vomitum apta est ipecacuanhae radix, sed in gastrica pituitosa plerumque valentiora postulantur vomitoria, ut antimonialia sunt. Leviora enim non facile agunt, ubi ventriculus pituita, et tenaci glutine obducitur, aut nervi minori sensibilitate polleant. Caute vero in hujusmodi gastrica administrentur purgantia; quoniam magna extat ad colliquativos alvi fluxus dispositio, et summa virium infirmitas. Plures practici ante emesim, aut purgationem materies gastricas diluere, et attenuare potionibus consuescunt, quo hae melius egrediantur. Verum magis expedit hasce materies, et sordes ocyus expellere, praesertim si copiosae sint, ne augeatur morbus. Diluentia, et incidentia potius prae-

stant, si propter saburrarum cumulum, tenacemque pituitam sive emesis, sive purgatio iteranda sit. In gastrica autem verminosa sollicita purgatio nunquam negligenda est. Merito apud nos magno est in usu oleum seminum ricini, aut olivarum cum succo mali medici, quod prompte pueris datur. Post purgationem opportuna sunt anthelminthica, satis cognita. Praeterea in gastricarum simplicium curatione laudabilia sunt acida vegetabilia, et mineralia, quae materierum corruptioni obstant, calorem temperant, et vasorum irritabilitatem compescunt. In gastrica biliosa, ubi calor est plerumque urens, debitis institutis evacuationibus, potiones acidae ex aqua frigida et acido vitriolico admodum utiles sunt, et jucundae. Hae vero potiones in pituitosa minime conferunt; siquidem post evacuationes saepe magna sequitur debilitas. Denique ut enixe curationem absolvamus, perspiratio, et secretiones adjuventur, viresque roborentur.

§. 177. Si febris gastrica cum nervosa complicetur, in satis amplo conclavi locan-

dus est aeger, ut purum aërem respiret. Hinc gastricae sordes confestim expellantur, quae vel contagio conjunctae, vel ob suam depravationem, aut absorptionem nervos afficiunt, et graviora febris nervosae foenomena inducunt. Si existat contagium, ac saburrae in ventriculo congerantur, nil certe emesi conducibilius, dummodo ejus usui nullum impedimentum obstet. Si vero in intestina impurae materies confluxerint, magis purgatio adjuvat. Si in progressu morbi materies, et vitiosi succi in ventriculo, et intestinis iterum colligantur, observandum sedulo est, an iteratas evacuationes aegri vires patiantur. Etenim tanta aliquando est aegrotantium sensibilitas, et irritabilitas, ut emeticorum, et purgantium, etiam leviorum, actio timenda sit. Hoc in casu soli clysteres injiciantur. Generatim olea utilia sunt, praecipue si a saburrarum stimulo tormina nascantur. Harum enim acredinem retundunt, alvum leviter cient, ac dolores mitigant. Potiones ex aqua frigida cum acido vegetabili, aut

minerali delectant, et juvant. Si fervida sit aestas, humores dissoluti, depravata bilis, acida mineralia praestant, dummodo horum usui deficentia virium non opponatur. Eductis gastricis materiebus, apta judicantur antiseptica, antispasmodica, et roborantia, ut camphora, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, radix valerianae sylvestris, serpentariae virginianae, contrayervae. Si vero nervea vis praecipue incitanda sit, arnica, et cortex peruvianus potiora habentur remedia. Caute autem cortex est exhibendus, ne damnosus evadat. Sub ejus enim intempestivo usu ingravescere morbum, et insolescere symptomata plus semel observavimus. Cum persistat morbus, dolor capitis urgeat, sopor profundus occupet, mens sit delira, vesicantia suris, et femoribus, sinapismata plantis pedum admovenda sunt. Actio vero cantharidum periculosa est, si sanguis liquatus appareat. Ubi vitae vires delapsae sint, cardiaca, et analeptica relevant, praesertim vinum. Aër saepe renovetur, qui tem-

peratus, et purus esse debet. Cautela vero aperiantur fores, et fenestrae, ne transitus aëris noceat, maxime si manet sudor. Instituantur etiam muriatici, aut nitrici suffitus; qui aëris puritatem servant, pravos odores, et exhalationes eripiunt, contagii propagationem impediunt, si ipsius suspicio adsit. Prompte a cubili extrahantur excrementa, crebro lintea, et tegumenta immutentur, quae etiam iisdem suffitionibus exponantur. Omnia haec ad aëris salubritatem custodiendam, penitusque contagionem eradendam multum adjuvant.

§. 178. Si gastrica denique cum diathesi inflammatoria, aut aliqua partiali inflammatione copuletur, qui sit hujusce diatheseos gradus, cujus partis inflammatio, quae aegrorum aetas, temperies, quod morbi genium explanandum est. Etenim si ingens sit inflammatoria diathesis, et viscerum inflammatio, aetas juvenilis, et temperies sanguinea, sollicite venae sectio celebretur, et repetatur, dummodo morbi genium repetitis sanguinis mis-

sionibus non refragetur. Cavendum enim est, ne inopportunae sanguinis missiones fiant; siquidem hujusmodi febres non raro sub inflammationis specie, et fallacibus signis tantam gastricam cacochyliam abdunt, ut haec inflammationi prävaleat. Praeterea oportet potionibus diluentibus, et solutivis gastricas sordes solvere, et eliminare. Praestabit igitur potio ex aqua succo mali medici, et cremore tartari; aut ex sero lactis et tamarindis parata. Eodem tempore non praetermittantur clysteres. Quoniam in hac febris complicatione, summa esse potest inflammationis rapiditas, sedulo quaevis irritatio removeatur, ne lacessita intestina prompte inflammentur. Cum autem tam inflammatoria diathesis, quam gastrica impuritas fuerit subacta, et morbus ad finem properet, si ad salutarem sudoris excretionem dispositio aliqua observetur, levibus diaphoreticis haec obsecundetur. Blandus enim, et generalis sudor aegrotantes recreat, et morbum plane resolvit.

§. 179. Quoad victum generatim attinet; quo magis febris ad vigorem accedit, victus tenuior sit; tenuissimus cum ad summum vigoris gradum pervenerit. In febribus gastricis animale nutrimentum excluditur, quoniam in primis viis corruptionem auget. Tamen ut viribus consulamus jura carnis vitulinae, aut junioris pulli, quibus succus mali medici adjici potest, concedere oportet. Largius vero aeger nutriendus est, dum decrescit febris; hinc jusculis ovorum recentissimorum vitelli addi possunt, et ad gratam aciditatem succus mali citrei instilletur. Sunt etiam quidam fructus, qui optime alunt, et aegris plerumque jucundissimi sunt, ut prona, poma, aqua vel vino cocta et saccharo edulcorata, modo alvus soluta non sit. Cum convalescentia incipiat, vitentur quae noxia sunt, ne morbus redeat. Si maneat debilitas, nec satis recolligantur vires, martialia, tonica, apta alimenta, modica exercitatio, animi quies, solatia, campestris aër admodum

juvaut. Hoc enim modo reficiuntur vires, penitusque sanitas confirmatur.

§. 180 Pertinet etiam ad tertiam remittentium speciem febris, quae dicitur puerperalis. Ita a recentioribus fuit vocata, utpote quae puerperarum propria est. De ejus origine, natura, et curatione multum disceptatum est, et adhuc disceptatur: sed nemo ad hanc diem dubitat, quin haec febris modo gastrica, modo gastrico-nervosa, modo gastrica-inflammatoria sit. Attamen cum ad eam producendam maxime puerperium conferat, ne in curatione peculiares omittantur respectus, de ea speciatim agendum est. Quoad symptomata hujusce febris, auctorum historiae valde discrepant. Haec enim ob diversitatem caussarum, earumque complicationem, varium constitutionum epidemicarum genium, puerperarum temperamentum, et affectiones, diversa esse possunt. Cum vero interdum hanc febrem mitem, et sine gravibus symptomatibus; interdum malignam efferisque symptomatibus stipatam pluries observavi-

mus, eam sub hac duplici forma describere nobis liceat.

§. 181. Febris puerperalis post aliquot a partu dies corripit. Dum mitis est, puerpera horrescit, aliquem dolorem capitis experitur, tussim, nauseam, et anxietatem patitur, bilem et pituitam evomit; horrorem excipit calor, dolor capitis augetur, quaedam molestat sitis, lingua aut humida et alba, aut aliquantum sicca, adest inappetentia, ex alvo egeruntur biliosa; saepe calorem sequitur sudor, et hinc febris, et omnia symptomata ita mitescunt, ut quotidiana intermittens videatur. Verum quotidianae, aut tertianae continuae remittentis adinstar plures percurrit dies, suumque cursum conficit. Imminuuntur, aut diluuntur lochia; pulsus modo naturalis, modo celer, modo velox; calor interdum acer; dolores vagi, praesertim imi ventris; lac minuitur; urinae aut naturales, aut pallidae; diarrhoea; quae, senescente morbo, utilis est. Vidi mulierem viginti annorum delicatulam, sed alioquin sanam, post felicissimum

partum praeparca obtinere purgamenta ; hinc vespere quintae diei in febrem incidere cum quadam horripilatione , quam calor per totam noctem sequutus est. Postero vero mane,cum fere evanesceret febris, ejusque symptomata cessarent, erupit sudor. Cum hac ratione morbus ad tertiam processerit diem , corticem peruvianum exhibui . Paullo vero post quotidianae continuae remittentis assumpsit typum , et symptomata, quae erant capitis dolor , genarum rubor , pulsus celer , respiratio crebra , calor aliquantisper acer , lingua humida et alba , urinae fere naturales , dolores circa praecordia , alvi fluxus biliosus. Ita febris ad undecimam diem progrediebatur; hinc sensim restitutis lochiis , biliosis excreatubus non intermissis , decimaquarta die prorsus desinit. Saepius vero hujusmodi febris sub maligna forma apparet , et tum non est symptoma , quod cum ipsa sociari non possit . Ferocius in nosocomiis plerumque grassatur , et pauperes mulieres angustas , sordidasque casas incolentes invadit . Crebro paullo post partum in-

genti , et diuturno rigore aggreditur; sed interdum rigor plane deest. Magna ab initio est lassitudo , et animi dejectio , pulsus varius , praecordiorum anxietas , capitis , pectoris , abdominis , et artuum dolores , inflammationis viscerum indicia non raro prodeunt , supprimuntur lochia , vel parciora fiunt , et foetentia , flaccescunt mammae , lac imminuitur , et deficit ; quamquam observationes non desiderantur, quae usque ad obitum mammas aliquando lacte turgidas fuisse confirmant . Praeterea lingua est sicca , arida , aspera , nigra , et materie nigricanti obducta , qua dentes etiam conspurcantur ; epigastrii dolor ; vomitus frequens ; alvus soluta foetens ; urinae rubrae , saturatae , turbidae, aut pallidae ; abdomen intumescit , elevatur , tenditur ; accedunt convulsiones , tremor artuum , tendinum subsultus , delirium , somnolentia , singultus ; excrementa , et urinae involuntario dejiciuntur ; vultus fit terrificus , oculi truces , lividus totius corporis color , interdum malae rubent , labia sunt plumbea ; inter-

dum etiam peticulae, aut pustulae miliares, aut phlyctaenae apparent; erumpunt sudores colliquativi, et tandem serius ocius sequitur mors. Aliquando morbus expedite suum cursum absolvit. Curavi pridem pauperrimam mulierem suburbii incolam, quae, peracto laborioso partu, febri puerperali maligna corripiebatur. Inter initia brevem rigorem sequebatur calor; non amplius fluxerunt purgamenta, extumuit corpus; aegra deliramenta loquebatur; pulsus erant debiles, celeres, inaequales; respiratio sollicita; artus contremiscentes; dejectiones involuntariae; color cutis lividus; labia plumbea; tendines subsilientes; tandem quinta die inter convulsiones adventavit mors.

§. 182. Maxime a veritate recedunt, qui dumtaxat vel a lacte in sanguinem retropulso; vel a retentis et imminutis lochiis; vel viscerum inflammatione, praesertim uteri, omenti, intestinorum; vel putrida sanguinis infectione; vel vitiata bile; vel intestinorum sordibus; vel secundinarum portionibus, et grumis san-

guinis in utero consistentibus; vel prava sanguinis, et humorum indole, tempore gestationis parta, puerperalem febrem semper proficisci contendunt. Omnes enim hujusmodi caussae eam seorsim producere valent, dummodo vel ob temperamentum, vel ob aliquam labem in humoribus, vel ob nimiam nervorum sensibilitatem quaedam in puerperis ad contrahendum morbum adsit dispositio. Id experientia tam est confirmatum, ut pro certo habeamus, eodem morbo etiam ante partum posse mulieres laborare, sicut ab Epidem. Hippocratis, aliisque auctorum historiis colligitur. Ergo in salebra haeret, qui vel a solo lacte retento, vel a cohibitis purgamentis, febrem puerperalem oriri arbitratur.

§. 183. Lac aut mora immutatum absorbeatur, aut in massam sanguinis retropellatur, semper nocet, quia acutas febres, inflammationes, metastases efficit, quae plus minusve periculosae sunt, secundum loca, ubi absolvuntur. Obsunt etiam lochia suppressa, aut imminuta,

aut in uteri cavitate retenta . Haec enim propter moram , calorem , aërisque accessum corrupta , et absorpta , sanguinem labefaciunt , et hinc putridae febres , et lethales metastases consequuntur ;. Majus vero damnum afferunt , si gestationis tempore a naturali statu humores desciverint , et mulières sint eodematosae , pravoque corporis habitu . Qui puerperalis febris caussam in inflammationibus viscerum abdominis collocarunt, saepe effectum pro caussa accepisse videntur . Frequentius enim accidit , hujusmodi inflammationes esse potius secundarias, quam primarias , ut ex eo omnibus persuasum est , quod 1. multae sunt caussae, quae viscerum inflammationes inducere valent, ut depravata bilis in intestinis, et hepate congesta , et corrupta lochia in utero ; 2. antiphlogistica methodus non semper expedit, quod haud negant qui inflammationes viscerum tamquam praecipuam caussam morbi respiciunt , et qui omnia in epidemicis constitutionibus rite perpendunt . Attamen dubitandum non

est, quin frequenter post partum ab aliqua caussa uteri, intestinorum, omenti, inflammationes concitentur, et eodem tempore evoluta febris, characteres puerperalis accipiat; siquidem multiplex, et promptus est fomes, qui eam potest commovere. Viscerum autem inflammationes aut primariae, aut secundariae non infrequentes quidem sunt, ut ex earum indubiis signis, et cadaverum autopsiis deprehenditur.

§. 184. Hisce omnibus perpensis, quisque assequi potest, a multiplicibus, diversisque caussis febrem puerperalem oriri. Plerumque putridae indolis est, et a putridis effluviis, quae aut a lochiis putrescentibus, aut ab aliqua portione corruptae secundinae utero adhaerentis, aut a grumis sanguinis in ipsius cavitate putrefactis, aut vitiata bile, sordibusque gastricis emanant, proindeque sanguis et reliqui humores contaminantur; vel ab erroribus diaetae; vel a vitiato aëre; vel ab ejus nimio calore, aut frigore producitur. Observant clinici, febrem

lacteam , quae per diaphoresin facillime solvitur , in puerperalem saepe commutari , si puerperae actioni frigoris inconsulto sese exponant , quoniam frigus salutarem perspirationem cohibet.

§. 185. Quatenus ad prognosin attinet, quamvis puerperalis febris inter graves morbos adnumeranda sit, tamen quia modo mitius , modo truculentius suum explicat ingenium, diligenter ejus caussas, et symptomata expendenda sunt. Haec enim si tam gravia non sint , si recte curatio procedat , profluant lochia , quorum retentio frequens et efficax morbi caussa est, optimo jure salus speranda est . Si vero gravissima sint symptomata , recta non fuerit curatio , maximum erit vitae discrimen . Inter bona indicia est virium validitas , nulla respirandi difficultas , linguae humiditas , et rubedo , nulla lochiorum imminutio, placidus somnus , et reficiens , animi quies , pulsus non vehementer concitatus , aut nimis frequens , sudor generalis , urinae concoctae cum sedimento flavescente , aut rubro . Ex adverso indi-

cia mala sunt virium depressio, respiratio difficilis, sollicita, suspiriosa, pulsus debilis, celer, inaequalis, facies livida, et trux, animi dejectio, angores, lingua sicca, aspera, nigra, sordes os, dentesque conspurcantes, vomitus virescentium, et nigricantium materierum, urinae crudae, dejectiones involuntariae, convulsiones, tendinum subsultus, delirium, sudores inaequales, tenaces, frigidi, et interdum inter lethalia symptomata peticulae, aliaque exanthemata. Animadvertendum est, quod saepe in morbi decursu aliqua imminutio febris, et symptomatum accidit; huic vero, si praeter rationem contingat, minime fidendum, praecipue si admodum debiles aegrae sint, animum despondeant, et pulsus sint celeres. Cognoscitur autem tutum esse levamen, cum satis validae sint aegrae, et de nihilo conquerantur, pulsus rariores, et pacatiores, libera respiratio, somnus quietus, purgamenta redeant, sudores universales, aequales, calidi erumpant, abdomen prorsus detume-

scat, mollisque fiat. Subinde praesto est diarrhoea, quae si primis morbi diebus cum gravibus symptomatibus conjungatur, anceps est; bona si versus morbi finem cum levamine eveniat. Pluries ab initio ad finem morbi utilem diarrhoeam observavimus, dum scilicet vires constiterint, et mitia adfuerunt symptomata.

§. 186. Apud eos, qui dierum criticorum doctrinam amplectuntur, in quaestione versatur, an dies a morbi initio, vel a partu computandi sint. A plerisque vero deliberatum est, dierum computationem ab initio morbi esse incipiendam, si recte processerit partus, nulla fuerit uteri laesio, lochia fluant, et puerpera post aliquot a partu dies non febrescat; a die partus, si hic fuerit difficilis, uterus lacessitus, et post tertiam aut quartam diem febris accedat. Hoc enim in casu maxima a partu corporis immutatio nascitur. Ita Hippocr. lib. 3. Epidemion text. 62. aegrot. 2. in muliere in Thaso decumbente numerasse videtur, quae tertia a partu die acuta febri fuit correpta.

Quoniam divinus praeceptor adnotat, multo ante partum esse febriculosam, et cibum fastidientem, inquit sapientissimus Swietenius §. 1329. -- Nec credibile est, illam febrem post partum siluisse, sed cum horrore in acutam degenerasse; quae tamen de lentae febris, quae ante partum afflixerat, indole partecipabat, cum octogesimo die mortua fuerit --

§. 187. Ad febris puerperalis curationem faciendam varia ab auctoribus proposita sunt medicamina, prout varia morbi caussa fuit ab ipsis assignata. Nos autem, qui modo hanc, modo illam, modo plures insimul esse hujus febris caussas arbitramur, has omnes perlustrandas esse censemus, ut recte aegrotantibus opitulari possimus. Itaque secundum hanc opinionem errant, qui solum methodum antiphlogisticam adhibent, quae tamen aliquando convenit, nimirum dum febris habet inflammatoriam naturam, et viscerum inflammationibus conjungitur. De eligendis igitur remediis locum non habet quaestio; siquidem pro diversis casibus

eadem possunt et non possunt convenire. Sanguinis missio exemplum praebet, quae, ut experientia edocemur, modo juvat, modo nocet. Cognoscitur autem a signis quae sit morbi natura, et hac perspecta, quae sint adhibenda remedia. Ergo utilis est venae sectio, si febris sit inflammatoriae indolis, aetas juvenilis et florens, pulsus plenus, saevi laterum dolores, aut imi ventris cruciatus premant, lochia suppressa, et imminuta sint. Haec enim si cito supprimantur, vel imminuantur, nil opportunius est, quam ex inferioribus venis copiose sanguinem mittere. Verum si lochia large fluant, natura ipsa sanguinem detrahit, idcirco vena secanda non est. Animadvertendum autem est, quod inflammationum signa maxime fallacia sunt. Si malignus est morbus, malignae etiam inflammationes sunt, et prompte in gangraenam abeunt. Ne igitur in praecipienda venae sectione, et in quantitate detrahendi sanguinis decipiamur, symptomata omnia, puerperarum aetas, temperies, et peculiares di-

spositiones considerationem merentur. In hujusmodi morbo ut plurimum male afficitur nervorum systema, viresque prosternuntur; quarum autem dejectio periculosissima est. Et re quidem vera in febribus puerperalibus curandis perraro mihi contigit venae sectionem praecipere; quoniam illae vel mites erant, vel malignae, in quibus ab initio summa virium debilitas, et ingens nervorum laesio observabatur. Quod de venae sectione diximus, de purgatione dicendum est. Etenim si gastricae sordes primas vias inficiant, quae solis clysteribus emollientibus, et laxantibus subduci nequeant, purgatio certe prodest, dummodo levissima sit. Purgantia igitur praeponenda, utpote leviora, sunt oleum seminum ricini, amygdalarum dulcium sine igne expressum, seminum lini recens, et alia similia. Nunquam vero purgetur puerpera, si lochia libere, ac naturaliter profluant, ne haec supprimantur, aut imminuantur. Apposite Riverius prax. med. lib. 15. cap. 24. hisce verbis admonet = In genere autem hoc per-

petuo observandum, quo longius puerpera distat a die partus, eo tutius medicamentum purgans posse administrari, et contra. Nam experientia docuit, mulieres purgamentorum suppressione laborantes, si post septimum, aut nonum diem alvi fluxu corripiantur, ut plurimum liberari. Si vero primis diebus, videlicet secundo, tertio, vel quarto diarrhoea acciderit, ut plurimum interire. -- Primis igitur puerperii diebus, nisi magna urgeat necessitas, purgatio porrigenda non est. Emetica raro expediunt, sed si utilitatem aliquam afferre valent, lenia sunt, quia omnia vehementia medicamina in puerperio nocent.

§. 188. Indicatio curatoria ab examine caussarum, et morbi symptomatum elicitur. Itaque si caussa sit suppressio, aut imminutio purgamentorum, quae eorum profluvium revocant, utilia sunt. Conferunt ergo quae versus inferiores aortae ramos sanguinem trahunt, ut sectiones venarum pedum, cucurbitulae, fotus, balnea, et quae motum sanguinis augendo ute-

ri vasa reserant . Hujusmodi vero auxilia prudenter administranda sunt ; nam calida , et stimulantia periculum inflammationis adaugent , quae in illis puerperis saepe accidit , quibus lochia omnino supprimuntur . Ubi maxima sit debilitas , et prava humorum dispositio , cardiaca conveniunt , quae vires reficiant . Si frigus perspirationem imminuerit , aut cohibuerit, expediunt diaphoretica, quae vero nimium non calefaciant . Haec remedia diarrhoeae etiam medentur , cui clysteres demulcentes , et hordei decoctiones sanandae non parum concurrunt . Nunquam vero de diarrhoeae caussa negligenda est indago . Si enim ab intestinalibus sordibus pendeat , diluentia , levisque purgatio ; si a debilitate, adstringentia , et opio composita , in primis laudanum liquidum Sydenhamii, opem ferunt , quae eodem tempore spasmos , et irritationes sedant , quibus saepe puerperae obnoxiae sunt . Interdum vesicantia in usum venire possunt , ut saevientibus laterum doloribus . Haec vero indiscriminatim applicari non

possunt . Plerumque utilia sunt puerperis nec tam debilibus, nec tam sensibilibus, bonosque humores habentibus ; perniciosa illis , quae magna debilitate , et sensibilitate laborant , et humores ad dissolutionem proclives habent . Tum potius cortex peruvianus corruptioni obsistens , et cardiaca , quae vires resarciunt , adjuvant .

§. 189. Aegra denique animo , et corpore tranquillo consistat ; aërem purum , et temperatum spiret ; in mundo lecto decumbat . Itaque removendum est, quod mentem turbat , sensusque afficit . Parum lucis in cubiculum pervadat ; nec mulierculae dum operam praestant loquantur inepte . Ne vero morbus pejorem assequatur naturam , sedulo renovetur aër . Nil enim est damnosius , quam aër pravis , putridisque halitibus plenus , ut experientia est comprobatum . Interdum in nosocomiis aër putrido miasmate infectus puerperarum strages edit . Maxime vero noxius est aër , si nimis calidus , aut frigidus sit . Nimis calidus , praecipue si

etiam humidus, dispositionem ad putrescentiam, et putrescentiam ipsam adauget; nimis frigidus, praeter caetera incommoda, insensibilem perspirationem, et lochiorum fluxum impedit, magno quidem puerperarum damno. Multum autem mundities, et mutatio linteorum confert; nam calore corporis lochia facillime depravantur, tetrumque odorem emittunt. Saepius pauperes puerperae hac febri correptae moriuntur, quam divites; siquidem illae in immundis lectulis decumbunt, et inquinatum, humidumque aërem respirare coguntur. Pro nutrimento saepe dentur carnium juscula, quae vero meraciora non sint.

QUARTA SPECIES

Continua remittens intermittenti juncta seu semitertiana

§. 190. Perquirenti Graecos, Latinosque scriptores, propter opinionum discrepantiam, arduum est semitertianam defi-

nire , quae graece dicitur ἡμιτριτᾶιος Magnus enim Hippocrates eam modo inter continuas , modo inter intermittentes adnumerat , ut lib. 1. Epidem. sect. 1. et 3. videre est . Deinde Agathinus ad tertianam extensam ; Archigenes ad tertianam , ac quotidianam retulerunt . Celsus in Agathini opinionem concurrit , ut lib. 3. cap. 8. deprehenditur . Nam Celsi semitertiana fit a tertiana tam longas accessiones habente , ut nulla , aut fere nulla in ipsa observetur integritas . Galenus autem asserit , semitertianam Hippocratem appellasse febrem horridam atque continuam , quae scilicet ex mixtione tertianae cum quotidiana continua consequitur . Hoc lib. 2. de differ. febr. confirmat . Hinc Galenus arbitratus est , semitertianam aut ex tertiana intermittenti et quotidiana continua , aut ex quotidiana intermittenti et tertiana continua componi , quae etiam mixtio febrem continuam , et horridam producit . Secundum igitur Galeni sententiam non ex duabus febribus continuis se-

mitertiana componitur, quia tunc horrida non esset; nec ex duabus intermittentibus, quia tunc continuitate careret. Tamen plures sunt, qui ex variis complicationibus semitertianam proficisci arbitrantur. Praeter enim illos, qui vel ex duabus continuis vel ex duabus intermittentibus eam constare contendunt, sunt qui ex continua acuta et tertiana intermittente, aut, ut cogitavit Sennertus, ex tertiana intermittente et continua sympatica, nimirum ab inflammatione alicujus visceris inducta, effici putant. In tanto autem quoad febris semitertianae naturam opinionum discrimine, plerique veram et exquisitam illam esse a Galeno descriptam; reliquas vero improprias, et ad alias febres spectantes statuerunt.

§. 191. Semitertiana Galeni in legitimam et illegitimam dividitur. Legitima seu exquisita dicitur, cum tertiana et quotidiana aequali proportione incedere videntur; illegitima, cum tertiana quotidianae, aut quotidiana tertianae praevaleat, et alterius symptomata manifestiora appa-

reant. Rursus legitima in acutam et brevem subdividitur, quae amphimerinae hemitritaeo Sauvagesii respondet, et in diuturnam et lentam, quae cum amphimerina pseudo-hemitritaeo ejusdem auctoris convenit. Veteres, qui ex duplici humore, videlicet bile extra, pituita intra vasa putrescente semitertianam oriri putabant, ab horum humorum aequali proportione legitimam, ab inaequali illegitimam exurgere contendebant. Galenus spurium vocat hemitritaeum, si aut pituita, aut bilis exuberet; auctores vel biliosum, vel pituitosum appellant, prout ipsis vel pituitosus humor, vel biliosus putrescens excedere visus est.

§. 192. Veteres, pluresque recentiores inter febres compositas semitertianam collocarunt. Quamvis vero haec duabus febribus constet, tamen inter remittentes febres recenseri posse videtur, quia singulis diebus exacerbatio, et remissio, nulla interrupta continuitate, observatur. Cum autem impa ribus diebus binae evolvantur accessiones, unica paribus, illa accessionum reduplicatio a

Graecis ἀναδίπλωσις nuncupata, talis saepe est, ut priusquam una accessio ad vigorem perveniat, altera accedat, et hinc perfrigerationes, et horrores varii nascuntur. Aliquando binae accessiones insimul concurrunt, eademque hora multo frigore aggrediuntur. Paribus vero diebus sola extremorum refrigeratione invadit accessio.

§. 193. Verus, propriusque hemitritaeus antimeridianis accessionibus corripit, quae perfrigeratione, et pulsuum contractione ineunt. Interdum perfrigeratio non solum in accessionum ingressu, sed etiam in earum augmento contingit. Sequitur calor cum frequentia pulsus, qui prius augetur, dein tepescit, interdum cum sudore, aut madore aliquo. Circa autem vesperam rursus quaedam perfrigeratio molestat, quam excipit calor, qui prima nocte valde intenditur cum celeritate pulsus. Postridie febris, et symptomata multo mitiora fiunt, donec appetente vespere refrigescunt extrema, et febris amplior evadit. Tertia die, sicut prima, frigus et

horror init, dein explicatur calor, donec, accedentibus tenebris, altera accessio superveniat. Ita deinceps semitertiana incedit. Vires plus minusve dejiciuntur, et in statu morbi pulsus saepe debiles deprehenduntur; adsunt inappetentia, vigilia, inquietudo, urinae tenues, crudae, decolores, interdum turbidae, crassae, coloratae. Sunt qui in morbi decursu tormina, alvi fluxum, lumborum dolores, nauseam, vomitus biliosos, cardialgiam, lipothymiam, delirium patiuntur. Observandum est, in semitertiana ex tertiana continua et quotidiana intermittenti composita imparibus diebus exacerbari symptomata, sed horrorem mitiorem et breviorem esse, quam in illa, quae ex tertiana intermittenti, et quotidiana continua conflatur. Veram et exquisitam semitertianam in viro triginta annorum curavi, quae tam aperte et uniformiter, tantaque paroxysmorum constantia progrediebatur, ut observatu frequens non sit, cujus historiam paucis amplectar. Erat aeger bilioso temperamento praeditus, qui

extremo vere propter immodicos venationis labores, et frigidas, copiosasque ex aqua potationes, aestuante corpore, incidit in febrem, matutinis horis horrore, et frigore inchoantem; frigus autem dolor ventriculi, vomitus biliosus, et aliqua sitis sectabantur. Hinc calor acer cum celeritate pulsus sequebatur. Post septem aut octo horarum spatium, horrifico motu rursus concutiebatur aeger, et extrema frigescebant. Circa noctem calor major factus est, ut et inquietudo, ac sitis. Sequenti die omnia erant mitiora, donec, redeunte vespere, pedum refrigeratione paroxysmus iniverit. Tertia dies primae erat similis; quarta secundae; et hac ratione ad septimam usque diem progressus morbus alvi fluxu bilioso protinus solutus est.

§. 194. Diximus, veteres ex mixtione bilis et pituitae putrescentis semitertianam proficisci judicasse; siquidem ex putrescenti pituita febrem quotidianam, ex bile tertianam oriri censebant. Deinde hisce humoribus tertium addiderunt bar-

bari, scilicet melancholicum, aut atrabilarem putrescentem, ex quo alias duas semitertianae species deduci opinabantur. Ex his una ex tertiana continua et quartana intermittente; altera ex quartana continua et tertiana intermittente composita. Recentiores autem qui semitertianam ut febrem compositam respiciunt, duplicem etiam ejus caussam ponunt; quibus vero ea febris quotidiana continua remittens esse videtur, caussae reduplicationem rejiciunt. Qui considerant, praesertim vere et autumno semitertianam adoriri, cum frequentes et subitaneae sunt aëris vicissitudines, et omnes caussas procatarcticas perpendent, eorumque cadavera secant, qui hoc morbo pereunt, facile morbi caussam in pravorum humorum affluxu, praecipue bilis et pituitae, ad primas regiones consistere sibi persuadent. Quapropter semitertianam a gastrica non differre existimant. Quamvis vero hujusmodi opinio ratione non careat, tamen ob auctorum discrepantiam quoad morbi naturam, et curationem, ob pe-

culiarem incedendi modum, ob speciales caussas, et symptomata, peculiari animadversione digna haec febris videtur. Praeterea considerandum est, humores, qui ad ventriculum, et intestina concurrunt, irritantem saepe adipisci naturam, et nullo negotio in sensibilibus et nervosis tunicis inflammationem progignere. Hanc ob rationem hisce in partibus, aut mesenterio aliqua inflammatoria stasis reperitur, cui sine dubio succorum spissiorum et peccantium concursus aliquando favet. Propter autem hujusmodi infarctum non solum intestina et mesenterium, sed etiam alia abdominis viscera non raro inflammata deteguntur. Ob hanc forte caussam egregius Spigelius ab aliqua interna inflammatione semitertianam oriri sentiebat. Quod si verum esset, nulla certe in decursu morbi periodica observaretur remissio, sed potius semitertiana acutissima febris foret, et continenter progrederetur.

§. 195. Hujus febris occasionales caussae plures sunt, ut quaedam aëris qualitates, quaedam alimenta, prava viven-

di ratio, nonnulli animi affectus, et in primis moeror. Quaedam etiam sunt regiones magis huic morbo expositae, dum aliae prorsus immunes exstant, quod certe ab aëris qualitatibus pendet. Etenim ex observationibus constitit, aërem calidum et humidum, humidum etiam etsi non calidum, frigidum et humidum, inaequalem semitertianae evolutioni favere. Revera haec febris per loca calida et humida, frigida et humida, simpliciter humida grassatur, ac frequenter tempore verno et autumnali oritur, cum calor minime urat. Hippocrates lib. 1. Epidem. sect. 2. constitutionem temporis humidam et frigidam descripsit in Thaso, ubi inter alios morbos, qui plurimos affligebant, semitertianas adnumerat. Itaque hic morbus saepe aggreditur eos, qui secus amnes, aut stagna, aut ubi frequentes contingunt inundationes habitant. Qui ex adverso purum aërem in montibus spirant, nunquam semitertiana tentantur. Non semper vero inaequalitas aëris semitertianas edit, sed praecipue circa finem veris, et aestatis,

aut autumno, cum adhuc aër calidus est. Hae quidem febres hisce temporibus, et in regionibus regnant, ubi repentinae sunt aëris vicissitudines, nimirum modo aër calidus sit, modo frigidus, modo aquilo, modo auster spiret, modo coelum serenum, modo nubilum. Aestivis diebus plures in semitertianam delabuntur, quia aëris ambientis mutationibus inconsulto sese exponunt, scilicet ex locis apricis, aestuante corpore, ad humidos, frigidosque recessus transiliunt, ut sunt cavernae montium, specus, cellae vinariae, ibique aliquantulum subsident. Galenus asserit, semitertianas esse incolis Romae familiares. Petronius vero inquit, suo tempore esse valde raras, et rationem hisce verbis de sanitate tuenda lib. 4. cap. 1. exponit. -- Semitertianae Galeni tempore, quales ille describit, Romae incolis familiarissimae quidem erant; sed hac nostra aetate sive ob victus genus mutationem, sive ob aliam caussam, perraro videntur. -- Baglivius, qui post Petronium vixit, familiarissimas esse Romanis civibus affirmat. Hae vero

febres nostris temporibus fere nunquam observantur, si illa Celsi semitertiana excipiatur, quae ut aliae intermittentium species in observationem cadunt. Nos ex clinicorum Romanorum testimonio asserimus, tunc solum aliquando semitertianam legitimam observari, cum aër est nebulosus, ut aestate, et autumno interdum accidit, maxime si austri perflent. Haec est ratio, quia in quibusdam regionibus, ut Aethiopia, frequentes sunt semitertianae, sicut Galenus, aliique scriptores testantur. Etenim aethiopicus aër quamvis calidus et siccus, quibusdam temporibus nubilus et pluvius fit, ventis non agitatus, vaporibusque repletus, qui ob ingentem calorem è mari attolluntur. Sunt autem plures aliae regiones, ubi semitertiana regnat, quamvis frigidae sint, ut Austria, Moravia, Pannonia, quarum coelum est vaporibus refertum, maximeque variabile.

§. 196. Aliquando alimenta quantitate, et qualitate peccantia, ut dulcia, cruda, acida, insueta, ob pravos succos, quos

generant, semitertianam arcessunt. Hanc etiam gignit prava vivendi ratio; quoniam otiosi, desides, somno nimis indulgentes, vini, praecipue dulcis potatores huic febri obnoxii sunt. Illa quoque animi pathemata ad eam disponunt, quae robur infirmant, vigilias inducunt, perspirationem minuunt, circulationis lentorem, humorumque stagnationes pariunt. Proclives etiam ad hanc febrem sunt biliosi, laxi, ex aliquo morbo convalescentes, viscerum obstructionibus laborantes, colicis doloribus saepe detenti, homines haemorrhoidali fluxu, foeminae mensibus orbatae, et qui purgantibus, in primis drasticis abutuntur.

§. 197. Semitertiana periculosa febris est. Nunquam enim intermittit; nervosis tunicis ventriculi, et intestinorum officit; gravissimis saepe stipatur symptomatibus, nimirum veterno, vigiliis cum delirio, lipothymiis, virium dejectione, etc. Modo autem brevis est, modo longior. Interdum septima, nona, decimatertia die aut salute, aut alio morbo, aut morte termi-

natur. Subinde ulterius extenditur. Praenosci potest, semitertianam futuram esse lentam, si tarde incedat, et statum attingat; contra brevem, si ad statum ocyus perveniat, et aliqua accidat crisis. Ut plurimum calidioribus regionibus brevior est, et imperfecta crisi resolvitur; in alios morbos facile migrat, ut in intermittentem febrem, aut continuam, aut in hydropem, aut in ingentes viscerum obstructiones; aut recursat, diuque aegrotantes affligit. Semitertiana autem vel sudore, qui sensim in unaquaque declinante accessione erumpit, vel diebus criticis uberrime manat; vel diarrhoea; vel dysenteria; vel etiam colicis doloribus judicatur, praecipue si dejectio materiei sanguineae, biliosae; et purulentae sequatur. Si nulla perficiatur crisis, male augurari debemus. Morbus enim, et symptomata graviora fiunt, ut hypochondriorum ardor, lumborum dolor, tota dolens et tensa epigastrica regio, cardialgia, nausea, vomitus, singultus, jactatio, manuum

tremor, lethargus, vigiliae cum delirio, animi deliquia, summa virium jactura. Res autem alea plena est, si acuti morbi superveniant, ut lib. 1. Epidem. sect. 3. Hippocrates, inquit ἐν δὲ τῳ ἡμιτριτᾶι φ καλεμένω ξυμπίπτει μὲν καὶ ὀξέα νοσήματα γίνεσθαι καὶ ἔστι τῶν λοιπῶν ὅτος θανατωδέστατος. In semitertiana vero appellata contingit quidem et acutos morbos fieri, et haec est maxime lethalis. – Periculosa est etiam semitertiana in illis, qui propter magnam virium infirmitatem, praecipue ventriculi, et intestinorum, longis afficiuntur morbis; et in tabidis, ut ex Hippocratis ipsius testimonio colligimus, qui ita post allatum textum scripsit ἀτὰρ καὶ φθινώδεες καὶ ὅσοι ἄλλα μακρότερα νοσήματα νοσέουσιν ἐπὶ τούτω μάλιστα νοσέουσι. caeterum et tabidi, et quotquot ex aliis longis morbis aegrotant, ex hac maxime aegrotant.

§. 198. Qui recte semitertianam curare velit, non solum morbi caussas, et symptomata, sed etiam an naturae motus

excedant vel deficiant, diligenter observet. Pro varietate enim caussarum, et morbi conditionum curatio varianda est. Venae sectio raro expedit; nihilo tamen minus cum ingens plethora sit, magnus aestus, urina rubra, et consuetae sanguinis evacuationes in corpore bene habito non suppetant, ne inflammentur viscera, utilitatem affert. Haec vero dum convenit, inter morbi initia instituatur; nam quo promptior, eo utilior est. Interdum magis juvat pedis venam tundere, nimirum cum quaedam symptomata urgeant, ut dolor capitis, lumborum, aut aeger deliret. Sanguinis autem mittendi quantitas vehementiae morbi, et aegrotantium viribus aequanda est. In infantulis, si quantitatem aliquam sanguinis educere oporteat, cubitorum venis applicentur hirudines, quae maxime utiles sunt, ut pluries observavimus. In hominibus juvant haemorrhoidalibus venis admotae, si universalis venae sectio tuta non sit, aut jam magna vasa fuerint secata.

§. 199. Purgantia fortiora fugienda omnino sunt. Ventriculi enim, et intestinorum inflammationem producunt, vel augent. Levia itaque adhibeantur, ut pulpa cassiae, tamarindorum rhabarbarum, etc. si materies biliosa et pituitosa congeratur. Si alvus, ineunte morbo, adstricta sit, et primae regiones sordibus scateant, purgantes clysteres injiciantur, licet exporrecta fuerit purgatio, maxime si ventrem non satis resolverit. In progressu vero prosunt clysteres emollientes, paregorici, carminativi, praecipue si ventris tormina vexent. Vomitoria etiam prudenter administrentur; siquidem lacessere stomachum, et ad inflammationem disponere valent. Propinentur itaque levissima, ut aqua tepida cum exigua olei quantitate, vel infusio radicis ipecacuanhae, si ventriculus, et duodenum bile turgeant, et natura ipsa ad ejiciendum prona videatur. Nunquam vero promoveatur vomitus, si aegrotantes ad hunc mirum in modum parati sint; aut bilem et pituitam evomant; ne cona-

tibus auctis provocetur singultus, interior ventriculi tunica inflammetur, viresque prosternantur. Quamobrem lenes purgationes, quae sine nocumento bilem, pituitam, sordesque detrudunt, praeferendae videntur.

§. 200. In temperamentis biliosis, et ubi bile intestina replentur, decoctio hordei, simplicia juscula pulli non salita, aut cum cichoreo, endivia, soncho parata, maxime juvant. Syrupus etiam acetosus, aut de acetositate citri cum aqua fontis purissima utiliter usurpatur. Si autem urens sit aestus, sitis ingens, quae foenomena frequentia sunt, decoctioni hordei communis spiritus vitrioli ad gratam aciditatem adjiciatur. In temperamentis vero pituitosis, in quibus pituita admodum exuberat, juscula soncho, et radice petroselini alterata, aut decoctiones radicum scorzonerae, sarsae parillae, foliorum scabiosae, cui addi potest nitrum purum, aut nitrum antimoniatum ab Ill. Baglivio propter aperiendi,

et diuresim promovendi facultatem magni factum, conducunt. Syrupus etiam acetositatis citri, vel de quinque, vel de duabus radicibus aperientibus praedictis decoctionibus, vel aquae cardui benedicti permixtus, utilis est. In illis, qui spasmo tenentur, apta est decoctio chamomillae, ejusque extractum, quod resolvit spasmos, et virtutem tonicam, et antifebrilem obtinet. Quia vero ventriculi, intestinorum, mesenterii inflammatio saepe occurrit, necesse est, aut eam, quantum licet, praecavere, aut statim resolvere, ne amplius extendatur, periculosiorque fiat. Discutientia, et quae διαπνοην, nimirum perspirationem augent, saepe etiam conveniunt, ut decoctio radicum scorzonerae, et sarsae parillae, cui aliquot stibii diaphoretici grana addi possunt. Utilis quoque judicatur mixtura ex aquis cardui benedicti, scorzonerae, nucum viridium, aceto destillato, stibio diaphoretico, et syrupo absynthii composita, si unum vel alterum

cochlear alternis, vel ternis horis porrigatur.

§. 201. Quoniam observavit Galenus, interdum semitertianam Romae sub intermittentis specie aggredi, dein continuam fieri, intelligitur ratio, quia lib. de typis scriptum reliquit. — Est autem non semper continua, verum et intermittens reperitur semitertiana febris. — Non alia enim ratione asserere potuit, intermittentem etiam esse semitertianam, cum semper continuam esse dixerit. Omnes autem practici affirmant, non raro hujusmodi febrem in intermittentem abire. Dum itaque aut est intermittens, aut in intermittentem commutatur, cortice peruviano curetur. Ast si semitertiana vera sit, et exquisita, peruvianus cortex nocet, ut Baglivius adnotat; siquidem stomachum obruit, irritat, inflammat. Nocent etiam hoc in casu calida et adstringentia medicamina, ut opium, calidae et copiosae potiones, quae aestum augent, materies biliosas, et pituitosas includunt, ac sudores debilitantes promovent.

§. 202. Etiam semitertianae symptomata, quae saepe gravia et molesta sunt, maximam considerationem merentur. Frequenter aegri fraudantur somno, ac torminibus, diarrhoea, et dysenteria laborant. Observandum est, aliquando ineunte morbo aegrotantes insomnes esse, decedente vero, si bona paretur crisis, tranquille quiescere. Ventris autem tormina aut protinus a morbo, aut hoc senescente adoriuntur. Si mitia sint, clysteribus, fotubus, jure pulli hausto sedantur. Si vero vehementer inter initia urgeant, praecipue in juvenibus sanguineis, aut robustis, sollicita prius venae sectio, deinde clysteres, jura pulli, decoctio chamomillae valde congruunt. Si tormina, morbo ad finem properante, saeviant, clysteres emollientes, carminativi, potiones emollientes, fotus, medicamina alvum leniter laxantia, ut oleum amygdalarum dulcium, syrupus florum persicorum expediunt. Si autem haec persistant, balnea ex aqua calida, aut oleo opem ferunt. Si diarrhoea, vel dy-

senteria corripiat, perquirendum in primis est, an hujusmodi fluxus critici sint, vel symptomatici. Si critici, solum clysteribus ex aqua hordei paratis, et potionibus ejusdem aquae curentur. Si vero tam frequentes sint, ut vires dejiciant, lenia diaphoretica adhiberi possunt, ut decoctio sarsae parillae cum quinque folio, aut fragaria pro potu haurienda. Hanc decoctionem valde utilem observavit Spigelius. Nec infructuosum est spirituosis linimentis abdomen linire. Si a pravis succis, et primarum viarum impuritatibus dejectiones oriantur, quod ab oris amaritie, reliquisque gastricis signis cognoscitur, lenis purgatio prodest, ut dimidia uncia pulpae tamarindorum. Caute igitur incedendum est, vel alvi fluxus criticus sit, vel symptomaticus, praecipue ab intestinorum inflammatione ortus. Si a phlogosi tunicarum intestinorum proficiscatur, remedia, quae inflammationem discutiunt maximi habenda sunt.

§. 203. In conclavi locentur aegri, ubi temperatus et siccus aër ambiat, qui ad

citam, perfectamque morbi solutionem consequendam magni adjumenti profecto est. In hoc enim libera est perspiratio, nec ob nimium calorem nimis copiosa, nec a frigore refrigeratur corpus; et ad interiora repelluntur humores. Victus plus minusve tenuis esto secundum morbi intensitatem, ejusque tempora. Itaque in acuta semitertiana tenuis; plenior in diuturna. Tenuior autem, et facilioris coctionis esse debet, dum morbus ad vigorem tendit, et ad eum pervenerit, ut aph. 8. lib. 1. Hippocrates docuit — Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo utendum est. — Abundantior concedatur dum febris remittere incipit. Quoniam semitertianam facillime, graviusque recurrere solet, omni studio curandum est, ne ipsa remeet. Ut igitur removeantur caussae, necesse est, convalescentes certis legibus vivant. Sedulo perspiratio custodienda, et ventris exonerationes regulares servandae, ne in intestinis sordes cumulentur. Cura etiam nos teneat, ut sustineantur, augeantur-

que vires, praesertim stomachi, ne cruditates coacerventur, et digestiones perturbentur. Hac ratione, si quis convaluerit a morbo, non tam facile in eum relabetur. Sed satis de febribus.

FINIS TOMI PRIMI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

PRAEFATIO pag. 3
CLASSIS I. FEBRES
GENERALIA DE FEBRIBUS 13
ORDO I. *Febres intermittentes*
GENUS I. *Febres intermittentes purae* 53
SPECIES I. *Quotidiana intermittens* 84
SPECIES II. *Tertiana intermittens* 94
SPECIES III. *Quartana intermittens* 106
GENUS II. *Febres intermittentes nervosae, seu perniciosae* 121
SPECIES I. *Quotidiana perniciosa* 134
SPECIES II. *Tertiana perniciosa* 136
SPECIES III. *Quartana perniciosa* 159
SPECIES IV. *Subcontinua perniciosa* 162
ORDO II. *Febres continuae*
GENUS I. *Febres continuae continentes* 167
SPECIES I. *Synocha* 171
SPECIES II. *Nervosa* 192
SPECIES III. *Synochus* 243
SPECIES IV. *Febres hectica* 255
GENUS II. *Febres continuae remittentes* 266
SPECIES I. *Quotidiana continua remittens, seu amphimerina* 269

SPECIES II. *Tertiana continua remittens seu tritaeophya* 287

SPECIES III. *Continua remittens modo quotidiana, modo tertiana* 301

SPECIES IV. *Continua remittens intermittenti juncta, seu semitertiana* 337

Digitized by Google

Digitized by Google